John Carter Brown
Library
Brown University

479

DE
SCORBUTO
DISSERTATIO MEDICA,

AUCTORE

JACOBO LE MEILLEUR, ex Urbe *Port-au-Prince*, in Inſulâ *Saint-Domingue*, apùd Americanos, Liberalium Artium Magiſtro, necnon in Almâ Univerſitate Monſpelienſi jamdudùm Medicinæ Studioſo.

PROPUGNATA

In Auguſtiſſimo & Celeberrimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, die 6â. menſis Februarii, anni 1770.

Pro Gradu Baccalaureatûs aſſequendo.



MONSPELII,

Apùd JOANNEM MARTEL NATU MAJOREM, Regis, Occitaniæ Comitiorum, Univerſitatiſque Medicinæ Typographum Conſuetum.

M. DCC. LXX.

48.


Experientiæ & rationi Medicina inſiſtit.

Corn. Celsus, *de Re Medicâ.*

Magna & periculi pleniſſima ſunt mala, quæ perſpiratio diù cohibita corpori infert. Succos enim impuros auget atque ad corruptionem & putredinem diſponit, & hinc morbos univerſales, ut Febres & Cachexiam, producit, iiſque malignam quamdam vim ingenerat.

Frid. Hoffman, *de Pathologiâ generali, Cap.* 7. §. 19.

481



ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D.

PETRO POISSONNIER,

REGI A SANCTIORIBUS CONSILIIS,

REGI A CONSILIIS MEDICIS,

GALLIÆ EXERCITUUM IN GERMANIA OLIM INSPECTORI,

ET MEDICO PRIMARIO,

IN REGIIS ARCIBUS MARITIMIS ET COLONIIS

TOTIUS MEDICINÆ PRÆFECTO,

IN REGIO FRANCIÆ COLLEGIO MEDICINÆ PROFESSORI,

REGIO LIBRORUM CENSORI,

484

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ PARISIENSIS

NECNON

DIVIONENSIS, STOCKOLMIENSIS ET PETROPOLITANÆ

SOCIO,

SALUBERRIMÆQUE FACULTATIS IN UNIVERSITATE PARISIENSI

DOCTORI REGENTI,

DE

HUMANO GENERE BENE MERITO,

SUPRAQUE LAUDES POSITO.

Has ſui laboris Primitias, in æternum obſervantiæ ſpecimen, humillimâ mente

V. D. C.

Addictiſſimus & Obſequentiſſimus
Servus & Cliens.
JACOBUS LE MEILLEUR.

483

DE

SCORBUTO

DISSERTATIO MEDICA.

PROLOQUIUM.

INGENS eſt Medicorum numerus, qui de Scorbuto ſcripſerunt; aſt pauciſſimis tantùm datum fuit, veram ejus noſſe naturam & indolem; plerique ad varias, mente præjudicationibus obcæcatâ, hypotheſes confugientes, ut erroneas & inſulſas indè ſtabilirent opiniones. GALENI principia, Chymiam, Mechanicem in auxilium unuſquiſque advocavit, prout hæc vel illa arriſit opinio, & phantaſiæ erroribus deluſus, experientiam ac obſervationem, quæ certè in Arte medendi veræ ſunt rerum magiſtræ, deſeruit: undè notionum confuſarum & errorum homicidarum immenſa cohors, quaſi de fonte rivi, profluxit.

484

Et quidèm cum præcipitis ac vividæ imaginationis conatibus elatis, res in Medicinâ nequaquàm conſiderandæ ſunt. Verùm in hâc ſcientiâ ſcitu deſiderabiliora & cognitu præprimìs neceſſaria, ſunt certè modus quo natura agit in morbis, tùm & ſufficiens indagatio cauſarum à quibus morbi ortum ſuum nanciſcuntur, ut procùl ablegari aut tutò debellari poſſint. Ad hanc verò cauſarum inquiſitionem, ut non imperfectè patrata remaneat, expedit ut experientiâ, obſervatione, ſeverâ analogiâ, quæ omnibus in rebus phyſicis tutiſſimi ſunt duces, tanquàm inconcuſſà baſi ſtabiliatur. Normam hancce ab omnibus Artis Medicæ proceribus uno conſenſu præſcriptam, in hoc Opuſculo religiosè ſubſecuturum memetipſum obſtrinxi; in indagandis potiſſimùm cauſis Scorbutum producentibus.

Quamobrèm, ut in pertractandâ noſtrâ diſquiſitione, neceſſarius ſervetur ordo, (ſilentio prætermiſſis utpotè minoris momenti, utrùm Medici veteres Scorbutum noverint, necnè: tùm & omnibus, quæ ad verum Etymon ſpectant vocabuli, quo apùd nos inſignitur dirus hic affectus) ſeptem Capita comprehendet hæc Diſſertatio. Primum verſabitur circà examen cauſarum quibus varii Auctores Scorbutum tribuerunt, quæque tamèn nullam ipſi anſam præbent. In ſecundo Capite veras hujûs ægritudinis cauſas, deductas ex obſervationibus tùm Mari, tùm Terrâ accuratè peractis, exarabimus. In tertio de ſignis agemus diagnoſticis. In quarto de ſignis prognoſticis. In quinto exponemus curationem ac medendi methodum. In ſexto curam trademus prophylacticam, tàm Mari, quàm Terrâ, inſtituendam. Septimum tandèm Cadaverum ſectiones & aperturas comprehendet.

Cuncta quæ hìc tractanda ſuſcepimus, graviſſimis argumentis ac verſatiſſimorum Virorum auctoritate firmantur: aſt me non adeò ſpes vana deluſit, ut nullo vitio culpandas fore, has mei laboris primitias credere poſſim; attamèn me de Lectorum indulgentiâ multùm

meriturum exiſtimavi, ſi pro tanto labore & virium tenuitate aliquid præſtiterim.

CAPUT PRIMUM.

In quo præcipuæ Auctorum opiniones circà cauſas & diverſas ſpecies Scorbuti perpenduntur.

PRIUSQUAM ad genuinam Scorbuti naturam properemus, non abs re fore putamus, perpendere cauſas, quibus vulgò, ſed perperàm, tributus fuit teter hic affectus; quædam etiàm addendo, de variis morbi hujûſce ab Auctoribus nonnullis admiſſis diſtinctionibus. Rem, quàm potero, in verba conferam pauciſſima, non omnium ſententias, præcipuas tantùm rigoroſiori examini ſubjiciendo.

Medici qui de Scorbuto primi diſſeruêre, quales RONSSEUS, ECHTIUS, &c., hunc à lienis vitio pendere autumârunt; quam quidèm opinionem radicitùs evertere videntur quamplurima variorum Auctorum obſervata, quibus conſtat immunem omni vitio lienem frequentèr fuiſſe repertum, in Cadaveribus Scorbuticorum *(a)*.

(*a*) Vide LUDOVIC. ROUPPE, *de Morbis Navigant. ſect. 2. pag.* 151. BONET, *Sepulch. anat. tom.* 2. *lib.* 3. *ſect.* 19. *pag.* 337. Ejûſdem *Theſaurum medico-pract. tom.* 2. *pag.* 974., in quo legitur hæc obſervatio. » Olim » Vir nobilis affectione ſcorbuticâ, ſymptomatis quamplurimis & hor» rendis ſtipatâ laborabat, hunc Medici dùm curabant, lienis vitio, » ægritudinem contraxiſſe pronuntiabant; defuncti Cadavere aperto, » ſenſui conſtabat, lienem omni culpâ immunem fuiſſe ». Videſis adhùc SENNERTUM, *Med. Pract. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. FORESTUM, *Opera omnia, lib.* 20. *obſ.* 11. *pag.* 292. REUSNERUM, *exercit.* 4. *de Scorbuto*. HORSTIUM, *Tract. de Scorb. ſect.* 2. §. 8. WILLISIUM, qui poſt plurimorum Scorbuticorum Cadaverum ſectiones, lienem optimè validum ac ſanum multotiès obſervavit; Doctorem MEAD qui in Cadavere Ruſtici Scorbuto defuncti, invenit equidèm ingentem lienis molem, ſed, *formâ naturali, ſolâ magnitudine auctâ; nequè color mutatus erat, nec mollitiem tumor aut ſcirrhus vitiarat*, &c. *Monit. & Præcept. Med. cap.* 15. *de Scorb. pag.* 137. *tom.* 2. *Edit. ult. Pariſ.* 1757.

Fatendum equidèm viſcus hocce ſæpè corruptum, oculis ſeſe præbuiſſe; verùm putredo hæc lieni non eſt peculiaris habenda: nonnè pulmones, pericardium, cor, hepar, meſenterium, omentum, aliaque viſcera abdominalia, plùs minùſve corrupta, imò quæpiam ſat intenſiſſimo gradu, viſa fuerunt; dùm ferè prorsùs aut etiàm omni culpâ lien videbatur immunis? Undè concludere licet, hanc hujùs viſceris corruptelam ſectione Cadaverum demonſtratam, nedùm morbi cauſa ſit, eſſe tantùm hujùs effectum.

Ab EUGALENO, interna Scorbuti cauſa cenſetur, exuberantia melancholici humoris, *qui circà lienem & hepar, vel in intermediis inter hæc & ventriculum ſpatiis, vel in ipſis etiam venis coacervatus, propriam & huic morbo familiarem corruptionis formam ſubit*, *&c.* (*b*). Aſt nonnè pro deliramento reputandus eſt hic melancholicus & atrabilarius humor, quo præcipuè, tanquàm fundamento, ſuperſtruitur veterum theoria; dùm nullâ experientiâ, nullo firmo argumento, illiûs exiſtentia hucuſquè fuerit demonſtrata: abſurdum igitùr foret, pro cauſâ morbi, rem aſſignare, quæ nullâ probabilitate innititur; potè quòd verba ſenſu vacua, ſana rejicit Medicina. Animadvertendum eſt intereà, quòd hic non ſolus ſit error, qui hunc illuſerit Auctorem, ut patet ex propriis ejus ſcriptis, limâque cenſoriâ Illuſt. LIND: imò poſt plurimas EUGALENI Operis repetitas evolutiones, mihi ſempèr viſum fuit tàm inextricabili rerum confuſione refarctum, ut ni vidiſſem titulum, maximus adhucdùm dubitationi eſſet locus utrùm, de Scorbuto aut de aliis morbis hucuſquè ignotis tractaviſſet Auctor. Porrò rejicit non ſolùm bina ex præcipuis ſignis Scorbuti, tanquàm parùm, vel etiàm minimè neceſſaria ad morbi diagnoſim, gingivarum

(*b*) Vide *de Scorb. lib. auct.* SEVER. EUGALENO, *pag.* 3. *Edit. Venet.* 1766.

ſcilicet

ſcilicèt eroſionem, tibiarumque maculas : *ſit enim non rarò*, inquit, *ut priùs hic morbus occidat quàm dictis illis in gingivis ac cruribus efflorescentibus ſignis, ſe prodat & oſtendat : ideò alia conſiderare ſigna ac notas oportet, ex quibus affectio, num adſit, cognoſcatur (c)*; ſed illis ſigna præfert quamplurimis ægritudinibus communia : & ſanè res haùd digna miratu, quòd talibus erroribus fuiſſet obcæcatus, quippè cùm judicaret Scorbuti *certiores eſſè notas & diagnoſtica ſigna quæ pulſus & urina monſtrant. A quibus nullo negotio diſtingui & agnoſci ab aliis morbis ſcelotyrbe poterit (d).* Nemo neſcit quàm lubrica & fallax haberi debeat morbi cujûſcumque diagnoſis, ex his ſolis duobus ſignis, & præſertìm urinâ, depromenda *(e)*; quod ipſemet ſibi pugnans fatetur Eugalenus paginâ 21 ejûſdem Operis ; *ſunt autem urinæ eorum qui ab hoc morbo ægrotant, variæ, pro temperamentorum ægrotantium, diverſitate, & variâ humorum putreſcentium, morbique naturâ ;* quod aſſertum, veritati maximè conſonum, meritò reputavit Celeb. Oosterdyk Schacht, ubi de ſignis Scorbuti agens : *Urina*, inquit, *admodùm varia, nihil certi indicans ; nequè pulſui multùm fidendum (f).* In quibus quidèm, & aliis innumeris inſulſitatibus enumerandis aut refellendis, non hîc ampliùs immorabimur.

Riverius, Ettmullerus, Pitcarnius, Joann. Frid. Rubel, compluresque alii, pro intenſiſſimo gradu affectûs hypochondriaci, Scorbutum habuerunt. Verùm ſi ad

(c) *De Scorbuto lib. pag.* 6.

(d) *Idem, pag.* 118.

(e) Vide *in Actis Haffnienſ. anno* 1676. *obſ.* 53, exemplum ab Olao Borrichio refertum, comprobans Diagnoſis incertitudinem in morbis ex urinis deductæ. Videſis adhùc de Uroſcopiâ ſententiam D. Barthez hujûſce Ludovicei celeberrimi Profeſſoris, in duodecim quæſtionibus ab illo propugnatis, pro regiâ Cathedrâ quam inſignitèr inſidet ; & Forestum, *de incerto ac fallaci urinarum judicio, lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 179.

(f) *Inſtit. Med. Pract. pag.* 67.

utrumque morbum perſpicaciores advertiſſent oculos, diſcrepantiam Scorbuti à malo hypochondriaco facili detexiſſent negotio : gingivarum quippè relaxatio, ſanguinolentia, putredo, dentium vacillatio, variæ cutis partes maculis deturpatæ, ulcera ſordida, corporis ac artuum laſſitudo, imò virium ad lipothymiam uſquè crebra defectio, caries oſſium, ex variis partibus hæmorrhagiæ ſæpè lethales, & alia de quibus infrà horrenda ſymptomata, quibus Scorbutus latè ſtipatur, in affectione hypochondriacâ, etſi ad ſummum gradum devectâ, planè deſunt : adde quòd non raro videantur Infantuli Scorbuto conflictati, quamvìs ne minima quidèm ſubeſſe poſſit ſuſpicio, illos anteà hypochondriacos fuiſſe.

Sunt qui cum Listerio, Cokburnio aliiſque, Scorbuti natales tribuunt ingenti copiæ Salis marini, quo pleraque condiuntur alimenta, quibus Nautæ veſcuntur : undè chyli & lymphæ inducatur ſalſedo, & conſequentèr omnes Corporis humores in muriam convertantur ; quâ de cauſâ Scorbutum ſub nomine Muriatici deſignârunt.

Hanc opinionem, quæ multò plùs ſubegit mentes, falſam eſſe planè comprobant innumera ferè Medicorum obſervata, hancque, plures intèr, meritò reprobârunt Nitschius & Bachstromius : primus enìm, accuratâ ſuâ obſervatione circà Scorbutum in exercitu Ruſſico furiosè diùque ſævientem Herbipoli, anno 1732, pro certo convictus fuit, alimenta ſale condita, aut fumo indurata, de quibus nullus fuerat uſus, huic morbo nullam anſam præbuiſſe.

Cæſareorum Militum in Hungariâ hybernantium exemplo, id adhùc planè confirmatur : referente enìm Kramero Medico Caſtrenſi, nullas carnes fumo induratas, aut ſale conditas, comedit exercitus ; viliſſimo è contrà pretio conſtabat recens caro bovilla ; quod tamèn non impediit, quominùs adeò invaluerit Scorbutus, ut complura Militum millia corripuerit & exſtinxerit.

Richardus Russel, Doct. Med. in ſuâ Diſſertatione *de*

Tabe Glandulari, *ſive de Aquæ marinæ uſu in morbis Glandularum*, refert, attentâ conſideratione factâ, circà putredinem ſcorbuticam, quâ Nautæ ſæpè laborant, illam penoribus ſalſis quibus veſcuntur, falsò tributam fuiſſe. Non pauci dantur, ait, Ruſtici qui etiamſi ex longo temporis tractu, iiſdem ac Nautæ nutrimentis ſeſe ingurgitent, ſcilicèt lardo, carne bovillâ muriâ infarctâ, atquè *Puddings (g)*, exceptis tantùm quibuſdam diebus feſtivis, in quibus ſtomachum carne recenti aliquantulùm recreant; quique nihilominùs athleticâ ac integerrimâ ſanitate pollent. Quàm ſit adhucdùm erronea ſupradicta *Liſteriana* opinio, quotidiè comprobatur apùd Navigantes: vìx enìm de minimo ſymptomate ſcorbutico, in Navibus conqueruntur, quòd actutùm quæcumque ſalita auferantur; attamèn, non obſtante hâc vigilantiâ, preſſo pede morbus progreditur & furit. Aliàs è contrà ſeſe in lucem prodit Scorbutus, licèt recentibus annonis Naves inſtruantur. Talis accidit eventus Claſſi præclari Architalaſſi Anson, poſt ejus à littore Mexicano receſſum; nec pluviarum ingens copia quæ penè indeſinentèr cecidit, nec recentium ciborum abundantia, huic calamitati ullum attulere levamen *(h)*.

Americanarum Inſularum ditioni Gallicæ obſtrictarum Incolæ plurimi, mihi pro certiſſimo dederunt, ſeſe ſalſiſſimis nutrimentis omnis generis uſos fuiſſe per octodecim aut viginti annos, abſquè vel minimo ſanitatis detrimento & Scorbuti ſymptomate. Novi egomet Præfectos Navales graviſſimè Scorbuto laborantes, nullo ſalſamentorum uſu prægreſſo.

Tandèm multiplici experientiâ compertum habuit Illuſt.

(g) Vocant Angli *Puddings*, quoddam genus alimenti, farinâ, pinguedine aut butyro, uviſque Corinthiacis parati; hæc linteo obvolvuntur, & in ollâ coquuntur.

(h) Vide *Voyage au tour du Monde, liv. 3. chap. 1. pag. 232, Edit. in 4°.*

Medicus Anglus Lind, in ſuis nauticis itineribus, per quæ numerum ingentem ſcorbuticorum tractavit, natales morbi hujûſce, ſali marino nullatenùs tribuendos eſſe. Imò dubitare videtur laudatus Auctor utrùm, ſal iſtud, virtute quâ pollet antiſepticâ, Scorbuto potiùs non adverſaretur, nedùm illum produceret? Quidquid ſit de hâc quæſtione quam injudicatam relinquit, en ejus experimenta. Aquæ marinæ ſemipintam & quandoquè ampliùs, quotidiano uſu epotandam juſſit duobus Nautis Scorbuto laborantibus, & quibus maxima gingivarum putredo, retractio tendinum poplitis, crura œdematoſa, inhærebant; qui hauſtus, quindecim diebus, manè fuit repetitus. Hoc elapſo tempore, ingraveſcere non videbatur eorum conditio, haùd abſimilis ſtatui cæterorum ægrotantium qui hâc non uſi fuerant. Plurimi ſcabie & ulceribus tenacitèr crura depaſcentibus infeſtati, ad uſum ejûſdem aquæ, conſilio ejus & hortatu promoti, saluberrimos indè effectus exceperunt, in ſecundo præcipuè caſu. Quinimò refert, itinere quodam trium menſium peracto, omnes Claſſiarios ad littora fuiſſe appulſos, nullo Scorbuti ſymptomate fœdatos; tamètſi, præ dulcis aquæ penuriâ, per totum navigationis curſum, aquâ marinâ concocta fuiſſent alimenta.

Non ſolus obſervavit Clar. Lind, aquam marinam pro nihilo eſſe in cauſâ Scorbuti: D. Hyves, Chirurgus in Nave *le Yarmouth*, ex Claſſe Anglicâ, ſub ducatu Architalaſſi Martin, tres cyathos hujûs aquæ capaciores, bis quâque hebdomadâ manè potandos præbuit omnibus, quantùm potuit, Scorbuticis, ac licèt in prædictâ quâ vehebatur Nave, major ægrorum eſſet numerus, quàm in aliâ qualicumque, duo vel tres tantùm morti occubuerunt: Architalaſſus ipſe, plureſque Præfecti, per totum itineris decurſum, aquam ſimilem innocuè potarunt.

Retulit mihi nupèr Clar. D. Madier, Inſulæ *St. Domingue* Medicus Regius, Claſſiarios Navis in quâ,

491

anno proximè elapſo, Galliam repetebat, ſalitam carnem bovillam ac ſuillam aquâ marinâ (præ aquæ dulcis inopiâ) decoquere fuiſſe coactos; nihilò tamèn minùs ſcorbuticâ labe nullo modo correptos, in Portum Maſſilienſem deſiliiſſe. Mihi quoquè aſſeruit: multos nùnc ex Anglis Navigantibus, pro ciborum coctione, tantummodò aquam marinam uſurpare; ex cujûs virtute laxativâ, ſalutiferos ſæpè percepit effectus, tùm ipſiûs, tùm ægrorum ſuorum in ſanitate tuendâ. Tandèm ad ſiſtendam putredinem ſcorbuticam, fauſto cum ſucceſſu aquam marinam adhibuiſſe refert BARTHOLINUS (i).

Salſamentis nequaquàm tribuendum eſſe Scorbutum, varia hucuſquè prolata indubitantèr comprobant; eorum tamèn uſu, quibuſdam in caſibus, ad Cachexiam Scorbuticam corpora fieri procliviora haùd abnuimus; quià tales cibi tenuiſſimâ parte nutritivâ orbati, ſpiſſitudine quâdam ac viſcoſitate donatum ſuppeditant chylum, qui plùs minùſve eorum alterationis particeps, aliis humoribus facilè aſſimilari nequit. Aſt ſola hæc ratio circà hujûs morbi productionem manet inſufficiens, abſquè cauſarum aliarum concurſu, fitque etiàm ſæpiſſimè ut nullam illi anſam præbeat. Idonea etenìm ſunt alimenta hæc, rectèque accommodata ad ſtomachos horum hominum, qui plerumquè illis veſci ſolent (Nautas intelligo); potè quòd exercitatio ferè continua & ardua opera, quibus quotidiè in Navibus incumbere coguntur, ſolidorum oſcillatione repetitâ, acceleratâque fluidorum circulatione, humorum tenacitatem infringere, necnon in ſuccos nutritios convertere valeant: fibrarum elaſticitati favente præſertìm ſanâ aëris conſtitutione. Quàm verò veritati conſonum ſit aſſertum hoc, quotidiana probant exempla: cùm enìm Nautæ velificant in æquora quibus adeſt atmoſphæra ſicca temperataque, quamvìs tùnc temporis,

---

(i) *Acta Haffnienſ. ann.* 1673. *obſ.* 6.

victu conſueto utantur, lardo ſcilicèt, ſalitâ carne bovillâ, piſcibus ſiccatis fumove induratis, fabarum ſiccarum ingenti copiâ, duriſſimo pane biſcocto, nihilominùs tamèn hæc omnia optimè digerunt, abſquè ullo valetudinis damno. Talibus eſculentis roborantur vires eorum concoctrices, quæ, levioribus, brevì langueſcerent & periclitarentur. Fatendum eſt intereà quòd ſi mutetur ſana atmoſphæræ temperies, & ſiccitati imbres continuò ſuccedant, illa tùnc fieri poſſint inſenſa, & ad celeriorem morbi generationem concurrant. Verùm numquìd infringitur Listeri ſententia, modò Scorbutus tùm Mari, tùm Terrâ, ſæpiſſimè fuerit obſervatus, abſquè quòd vel minimus præceſſerit ſalitorum uſus?

Cenſuit Joann. Frid. Bachstrom: *Cauſam veram & primariam Scorbuti, nullam aliam eſſe, quàm abſtinentiam diuturniorem à quocumque genere recentium vegetabilium (l)*; idque potiſſimùm in eo quòd & ad præcavendum & ad curandum dirum hunc morbum, egregiâ efficaciâ polleant. In exemplum affert obſidium Thorunenſe à Suecis, ubi quinque vel ſex millia Militum & ingens Civium multitudo, hoc ſolo morbo occubuere: quod quidèm unico olerum defectui tribuit, per quinque menſium decurſum. Verùm iiſdem argumentis quibus jàm ſupradictas opiniones refellimus, hanc paritèr refutabimus.

Et quidèm Clariſſ. Lind Nautas ſe noviſſe refert, qui proptèr argenti penuriam, undè eſcas recentes, olera præſertìm emerent, per totum triennis itineris tractum, ſolis navalibus annonis innocuè nutriebantur; dùm è contrà Claſſiarios non raro Scorbuto correptos vidit, paulò poſt eorum à portu diſceſſum, & ferociùs multò graſſanti, quàm ſi per menſes ſex, terrâ caruiſſent vegetabilibus, ſicutì *Scotiæ* & *novæ Finlandiæ* Incolæ montani, apùd quos raro hic morbus apparet. Quinimò conſ-

---

(l) *Obſ. de Scorbuto.*

493

tat Claſſes integras, quæ diù in fluctibus aberraverant, conſuetâ eſcâ utentes, ſcorbuticâ labe penitùs fuiſſe immunes; dùm aliæ, in mediâ olerum abundantiâ, factæ fuerunt ſcorbuticæ: ſic, *dùm Claſſis Navalis Architalaſſi* MARTIN *in Freto Gallicano, diù obſervabat Claſſem Gallorum, in ſummâ abundantiâ vegetabilium omnium & optimarum aquarum, tanto afficitur Scorbuto, ut intèr 4000 Claſſiarios, 400 numerarentur miſerrimè affecti: ſic ut Doctiſſ.* HUXHAM *cernens redeuntem in Pleymuthi portum Claſſem, graphicè ac lamentabilitèr conditionem deſcripſerit ægrorum (m).*

Legitur apùd REMBERTUM DODONÆUM, obſervatio de quodam Homine, in Carceribus ſcorbutico facto, abſquè quòd ullam aliam poſſet incuſare cauſam, ut ait, quàm ejus detentionem: aërem enìm haùd inquinatum ſpirabat, & bono utebatur victu. Novi ipſemet Andegavi Adoleſcentem quemdam incarceratum, Scorbuto correptum, quamquàm carnibus oleribuſque recentibus, pro alimento quotidiano veſceretur.

Undè meritò concludere fas eſt, quòd, etſi vegetabilium recentium uſus, ad præcavendum curandumque Scorbutum ſit efficaciſſimus, eorum tamèn penuria nullatenùs conſideranda veniat, tanquàm illiûs cauſa producens aut efficiens, dùm hæc ſæpè concurrat ſolummòdò; quinimò etiàm aliquotiès pro nihilo reputanda ſit, utì ſat luculentis confirmavimus exemplis.

Celeb. PRINGLE *(n)*, aliique plures, potentiorem Scorbuti cauſam intèr Claſſiarios graſſantis, ab aëris & cibariorum corruptione, exhalationibuſque putridis ex infimo Navium tabulato effluentibus, deducendam eſſe autumârunt. Nec nos latet, innumeris ferè exemplis indubitantèr comprobari, quòd ratione quarumdam aëris alterationum, hujûſque cum heterogeneis particulis miſcelâ,

---

(m) ANTON. DE HAEN, *Ratio medendi, tom. 4. §. 3. pag. 166.*
(n) *Malad. des Armées, tom. 2. pag. 299.*

valetudini inſenſiſſimus evadere queat : verùm ſi à tali aëris inquinatione, putridiſque effluviis ex infimo Navium dimanantibus, procrearetur Scorbutus, nonnè teterrimæ huic calamitati occurrere poſſent Claſſiarii, variis hucuſquè cògnitis utendo cautelis, videlicèt Machinæ *Suttonnianæ*, aut aliorum ventilabrorum ope ? Aſt cum Illuſt. Poissonnier des Perrieres in Opere doctiſſimo, quod ad Medicinæ decus nuperrimè edidit *(o)*, referam : ſagaciſſima hujûs generis media, morbum hunc debellandi cauſà, impenſa, parùm utplurimùm, imò etiàm nullatenùs profuiſſe ; etſi multùm in aliis ſcopis ſaluberrima evadant. Præterea ſi talis aëris inquinatio Scorbuto viam ſterneret, vaporibus peſtiferis è Sentinâ *(p)* effluentibus, qui magìs expoſiti ſunt Homines (juxtà annotationem Doctoris Lind) promptiùs & graviùs morbo corriperentur : tales ſunt Naupegi, qui, quartâ quâvis horâ, Sentinæ aquam dimetiri coguntur, & quorum ſtrata propè hanc aquam putridam plerumquè inſtruuntur. Quamvìs verò non deſint etiàm exempla, ab hujûs aquæ peſtiferis effluviis, ſubitâ morte enecatorum *(q)* ; Tignarios Fabros attamèn, præ cæteris Navigantibus, ad Scorbutum proniores eſſe, nullâ ſedulâ obſervatione liquet :

(o) *Maladies des Gens de Mer*, *pag.* 53.

(p) Vocatur Sentina, infimus Navium locus, ubi ſtagnant aquæ in illas penetrantes. Eò magis fœtidum ſpargunt odorem, quò rimæ Navis minorem viam undis præbent. Earum autèm potiſſimùm manifeſtatur putredo, ſi Antliâ tollantur, dùm colore nigro imbuantur, & earum attactu metalla alba ferè ſubitò nigreſcant.

(q) Tragicus hic ſequens occurrit eventus in Portu *Rupefortiano*, ut legere eſt in Obſervationibus Anatomicis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis, ann. 1745. pag. 28. » Un Matelot tomba mort en débondon- » nant une Futaille d'eau de Mer au déſarmement de la Flute du Roi, » *le Chameau* ; ſix de ſes Camarades qui étoient à quelque diſtance de lui, » furent renverſés, agités de violentes convulſions, & perdirent connoiſ- » ſance : le Chirurgien-Major du Vaiſſeau qui étoit accouru pour les » ſecourir, éprouva les mêmes accidents : le mort rendoit le ſang par » la bouche, le nez, les oreilles : ſon Cadavre noir & enflé, fut ſi » promptement corrompu ; qu'on n'en put faire l'ouverture.

nec

nec minùs elucefcit, Scorbutum atrociſſimo modo ſæpiſſimè ſæviiſſe, in ipſis etiàm Navibus omni immunditie expurgatis, ac in quibus ritè renovatus fuerat aër; ſicque Pringlianam Sententiam ſequentibus infringi obſervationibus.

Memorat ſiquidèm Doctiſſ. Lind, Claſſiarios Navis *le Namur*, per unum ex itineribus ad Indias Orientales, Scorbutum contraxiſſe, nil juvante Machinâ quâ utebantur *Suttonnianâ*. Infeſtavit paritèr Scorbutus Claſſem Nob. Anson, ripam ſtringentis Mexicanam, ad uſquè Inſulas Latronum, etſi accuratè mundarentur Naves, & apertæ fuiſſent Tormentorum bellicorum feneſtræ, fororumque tabulæ, ut novi aëris liber meatus conciliaretur; quæ omnes cautelæ, infandam hanc calamitatem præcavere nequaquàm potuerunt; utì videre eſt in Hiſtoriâ itineris per orbis ambitum peracti, quam teſtis oculatus in lucem prodidit Doctiſſ. Richardus Walter *(r)*. Inſupèr experientiâ liquet, curari poſſe Scorbutum, in aëre impuro Navigiorum: conſulatur hâc de re eximium Opus Doctoris Lind *(s)*, in quo memoratu dignum refertur exemplum ſexaginta decem Scorbuticorum, qui etiàmſi impurum hunc inſpirarent aërem, nihilominùs tamèn fuere ſanati.

(*r*) » Malgré l'abondance d'eau, & le Poiſſon frais, auſſi bien que » d'autres mêts non ſalés, qu'on fourniſſoit aux Equipages, les Malades » ne s'en porterent pas mieux pour cela. Nous ne nous vîmes pas ſeulement trompés à ces égards; nous avions pris encore une autre précaution, qui étoit de bien nettoyer nos Vaiſſeaux, & de tenir les Ecoutilles & les Sabords ouverts, pour faciliter le paſſage de l'air. Cette » précaution eſt ſeule capable, ſuivant bien des gens, d'empêcher le » Scorbut de ſe manifeſter, ou du moins d'en diminuer conſidérablement » les effets; cependant nous remarquâmes vers la fin de notre traverſée, » que, quelque peine qu'on eût priſe, pour tenir nos Vaiſſeaux nets, & » pour y laiſſer entrer de l'air frais, la maladie avoit continué à attaquer » nos Equipages, & n'avoit preſque rien perdu de ſa malignité «. *Voyage au tour du Monde par l'Amiral* George Anson, *liv.* 3. *chap.* 1. *pag.* 232. *édit. in* 4°.

(*s*) *Traité du Scorbut, tom.* 1. *pag.* 128.

Argumentis adverſùs Pringlianam Opinionem jàm jàm allatis, addere liceat adhùc, aëris corruptionem, ſolis Navibus non eſſe peculiarem: Noſocomia ſiquidèm, Carceres, Caſtra, cæteraque loca, quæ ingens numerus Hominum inhabitat, æquè putridis miaſmatibus onuſto, & fortaſſis fœtidiori, non raró inquinantur aëre, quàm Naves; abſquè quòd viſum unquàm fuerit Scorbutum, ab hâc pravâ aëris degeneratione ortum ſuum nanciſci: quìn potiùs exindè naſcatur Febris maligna contagioſa, de quâ doctiſſimè tractavit Illuſt. PRINGLE, in ſuo præſtanti Opere de Morbis caſtrenſibus *(t)*. Dùm autèm in Navigiis ingens (ſi fas ſit ità loqui) cumulatur Hominum caterva, rationeque Maris proceloſi, diù obduntur viæ quibus aër poſſet renovari, ſæpè tùnc graſſatur Febris hæc, & idcircò nonnulla dantur exempla Navigantium, qui, eâ de cauſâ, morbo illo, non verò Scorbuto correpti occubuerunt *(u)*. Porrò, ſi in talibus cauſis natales ſuos quæreret Scorbutus, familiaris adeſſet omnibus Claſſiariis, per cunctas anni tempeſtates, in omnibus univerſi orbis Regionibus, in calidis potiſſimùm Climatibus, ubi aëre rarefacto, miaſmata putrida Navibus incluſa, activiora & conſequentèr corporibus penetraliùs infenſa efficiuntur: id tamèn non evenit, dummodò mediocribus etiàm alimentis Nautæ nutriantur, immoderatis non incumbant operibus, & aërem humidum præcipuè ſedulò vitent.

Ab aëre igitùr putrido Navibus occluſo, Scorbutum nullo modo procreari, ſat validis probavimus argumentis: concurrit tantùm, ad augendam morbi hujûſce malignitatem, illa aëris corruptela: imò in fluido hocce, quærenda eſt vera & potentior morbi illiûs cauſa occaſionalis

---

(t) Vide *Malad. des Armées*, *tom.* 2. *chap.* 6. *pag.* 47. Videſis adhùc Celeb. MONRO, *Malad. des Armées*, *tom.* 2. *pag.* 2 *&* *ſuiv.*

(u) Vide LIND, *tom.* 1. *pag.* 124 *&* *ſeq.* PRINGLE, *Malad. des Armées*, *tom.* 2. *pag.* 49.

quam luculentèr indagandam ſuſcipiemus, poſtquàm opiniones alias, juxtà propoſitum ſcopum, ſevero ſubjecerimus examini.

Pro immediatâ Scorbuti cauſâ, Ill. BOERHAAVE aſſignavit nimiam disjunctionem ſeri ſanguinis à parte rubrâ : aſt ſuppoſitâ ſeri hujûſce tenuitate, diſſolutione, variâque acrimoniâ ; partis verò rubræ viſcoſitate & ſpiſſitudine (*x*). Cauſam hancce tanquàm unicè mediatam admiſit FRIDERICUS HOFFMAN, ratus, ſummam vitalium ſuccorum degenerationem ac diatheſim purulentam, quam pro cauſâ immediatâ ſtatuit, ad cauſas phœnomenorum labem hanc comitantium enodandas haùd ſufficere (*y*).

De hâc autèm ſeparatione ſeri ſanguinis Scorbuticorum à parte rubrâ, primâ fronte, ſat arduum cenſemus decretoriam ſtatuere ſententiam : in hoc ſiquidèm non omnes conſentiunt Auctores, dùm ab his prolata fuerint obſervata, quæ ab aliis planè refutantur. Liquidò negat Celeb. LIND, in hoc morbo talem dari ſanguinis ſtatum ; admittit è contrà integram tùm ſeri, tùm craſſamenti diſſolutionem : quam ſuam ſuffulcit aſſertionem, inſpectione ſanguinis Scorbuticorum Claſſis Nob. ANSON. In qualicumque morbi gradu, ait, & ex qualicumque parte manabat ſanguis, prorſùs diſſolutum videbatur craſſamentum, nullaque erat illiûs à ſero ſeparatio, quæ tamèn pro immediatâ Scorbuti cauſâ habita eſt, & theoriæ praxiſque exſtitit fundamentum.

Refertur in Epiſtolâ Doctoris GRAINGER, inſertâ tomo

(*x*) » Et cauſam ejus proximam eſſe eam ſanguinis indolem ; quâ & » craſſitie ſimùl in unâ, & tenuitate acri, ſalſâ, alkalicâ vel acidâ in » alterâ parte peccat ; quæ imprimìs inveſtiganda & diſtinguenda ſunt «. *Aphoriſm.* 1153.

(*y*) » Verùm enìm verò ad genuinam ſymptomatum Scorbuticis inhærentium cauſam explicandam, non depravata ſolùm planèque aliena » humorum indoles ſufficit ; ſed aliud adhùc momentum, videlicèt deſtructa elementi fluidi cum ſolido in ſanguine unio requiritur, quam » ex pluribus cum Scorbuto conjunctis phœnomenis non obſcurè licet » colligere «. *Med. Ration. Syſt. tom.* 4. §. 13. *pag.* 9. *edit. in* 4°.

primo Operis Auctoris mòx ſuprà laudati, nullam in ſanguine ſubducto è venis Scorbuticorum quos tractandos habuit in Arce *Sancti Guillielmi*, & in patinâ requieto, apparuiſſe disjunctionem partis rubræ à parte ſeroſâ : æmulabatur è contrà ſanguinem eductum in Febribus malignis, colore ſtipatum livido, integrâque notatum diſſolutione.

In hiſtoriâ Scorbuti, qui ſæviſſimè graſſatus fuit intèr Cæſareos Milites in Hungariâ, anno 1720, quamque Doctor KRAMER, Medicus Caſtrenſis, miſit ad Collegium Medicum Viennenſe, memoratur : quòd cùm inconſultò ſanguis è venis ægrotantium educeretur, dyſpnœam quâ laborabant allevandi cauſâ, nulla ſeri à craſſamento videretur ſeparatio ; ejus verò ſuperficies ſubſtantiâ albâ & adipoſâ duntaxàt obtegeretur.

Similem ſanguinis diſſolutionem in diatheſi ſcorbuticâ admiſit Celeb. THEOPHILUS BONET, necnon hujûs Doct. Interpres JOANN. JONSTON. Is poſt laudatum adſtringentium uſum, ut ſanguinis molecularum conſiſtentia atquè cohæſio reſtituantur, *ſiquidèm fuerit tenuior*, addit : *valet id non ſolùm in Scorbuto, ſed & Peſte, Syncope, Cachexiâ, aliiſque morbis ubi Sanguis eſt magìs tenuis & mobilior (z)*. Nec ſilentio prætermittendi Auctores alii non minoris notæ, qui de fluidorum diſſolutione & putredine in Scorbuto, cum jàm memoratis planè conſentiunt *(a)*.

Porrò FRIDERICUS HOFFMAN, qui ſpiſſitudinem partis rubræ ſanguinis pro cauſâ hujûſce morbi mediatâ admiſit, ſe illam tamèn non ſempèr inveniſſe fatetur, ut teſtatur his verbis ; *in quibuſdam verò loco ſanguinis craſſi, valdè tenue, coccinei coloris & acris ſaporis ſerum, nullâ craſſiore nigrâ ſubſtantiâ in fundo vaſis relictâ effluxiſſe, non ſine admiratione conſpeximus (b)*.

(z) *Theſaur. Medico-Pract. tom. 2. cap. de Scorb. pag.* 969.

(*a*) MEAD, *Opera Med. tom.* 2. *pag.* 139. MACBRIDE, *Eſſais d'expér. pag.* 230. PRINGLE, *Malad. des Armées, tom.* 2. *pag.* 151. HUXHAM, *lib. de Febribus, cap.* 5. *de Sang. reſol. & putrido ſtatu, pag.* 34, *edit. venet.*

(*b*) *Med. Ration. Syſt. tom.* 4. §. 14. *pag.* 10. *edit. in* 4°.

Hæc certè perfectam maſſæ ſanguineæ diſſolutionem in Scorbuto ſtabilire videntur ; aſt alia dantur obſervata, quæ dubitandi anſam præbent , nùm conſtantèr in cunctis illiûs ſtadiis , talis exiſtat ſanguinis depravatio. Sagaciſſimus enìm Doctor Rouppe , qui per ſua nautica itinera complures tractavit Scorbuticos , quique in tribus morbi periodis , Phlebotomiam inſtitui juſſit , craſſamenti diſſolutionem ſe non obſervâſſe aſſeverat *(c)*. His fultus

---

(*c*) En Doct. Rouppe obſervationes : » Pertuſâ venâ in primo morbi
» ſtatu , largâ nempè aperturâ , interdùm exſiliit , interdùm verò ſecun-
» dum brachium ſtillavit ſanguis , & quidèm ſpiſſus , craſſus , ſubnigri-
» cans , qui poſtquàm per horam ſtetiſſet in vaſe , incipiebat deponere
» ſerum flavum. In ſuperficie rubicundiorem oſtendebat colorem , quam
» cùm caluit ; inverſì autèm placentâ , exhibuit nigricantem , ut quoquè
» interna ejus facies , poſt ſectionem. Quandò per duas ſtetit horas ſu-
» pernatabat in ſero ſuo placenta , ſed plerumquè tamèn in uno vel altero
» patinæ latere affixa hærebat , quo autèm diutiùs ſtetit , eo minor in-
» vaſit inſula. Si cum decem aut circitèr horas ſervaverim , tùnc ſæpiùs
» rubeſcebat levitèr ſerum , quod motui Navis attribuebam. Ubi ſuper-
» ficies placentæ madefacta fuit ſero , amiſit rubrum , quem habuit colo-
» rem , & nigricantiorem contraxit. In nonnullis reperi quoquè cruſtam
» ſubviridem in ſuperficie placentæ , cæteroquìn alii erat ſimilis.
» In confirmato autèm Scorbuto talem propèmodùm inveni ſanguinem ,
» qualis in primo fuit ſtatu ; hoc tamèn diſcrimine , quòd ex venis dif-
» ficiliùs proſilierit , atquè intèr ſtillandum nigricantiorem exhibuerit
» colorem , quàm primus. Sæpiùs linteolum ad eum excipiendum ſup-
» poſui brachio , actutùm ſempèr concrevit & guttulæ maculas eâ ferè
» reliquerunt magnitudine , quâ fuerunt illapſæ. Quandò ſanguinem per
» plures tenui horas , inferior placentæ pars depoſuit nigricantem , cœno-
» ſam materiam floccorum ad inſtar , & facta eſt filoſa , ſimùlque ſerum
» evaſit rubellum ; nunquàm tamèn ſervavi ſanguinem ultrà decem horas.
» Hoc in ſtatu , tenui , ſubviridique pelliculâ frequentèr contecta fuit
» placenta ; inſupèr difficiljùs ſeceſſit ſerum à ſanguine , & aliquandò
» ſat diù nigricans manſit coagulum ſine ſeri ſeparatione , ſempèrque
» ejus minor , quàm in primo ſtatu , ſecernebatur quantitas.
» In tertio ſtatu ſanguis nigerrimus , ſucco atramenti conſimilis , &
» plerumquè in ſuperficie tenuem , ſubviridem pelliculam contraxit ,
» quam à ſanguine abſtrahere potui facilè , ſuumque difficultèr ſepara-
» vit ſerum. Inſupèr placenta non tàm firmitèr cohæſit , quàm illa primi
» ac ſecundi ſanguinis , nec facilè poteram eam tractare , nam citò abi-
» bat in grumos. Circà internam vaſis ſuperficiem apparebat amurcoſa ,
» flocculenta , nigraque materia : fuit eâ ex parte placentæ inferiore ,

obſervationibus percelebris Auctor, illorum propugnat opinionem, qui in Scorbuto diſſolutionem humorum & putredinem admiſerunt; quæ quidèm, inquit, in ultimo duntaxàt morbi gradu reperitur, & ab hujûs diuturnitate pendet; *nàm ſtabilitus fuit jàm Scorbutus, antequàm obſervata eſt humorum colliquatio.* Suam autèm tuetur ſententiam obſervatis Illuſtriſſ. WAN-SWIETEN *(d)*, & FRID. HOFFMAN *(e)*, circà ſanguinem miſſum è venis Scorbuticorum; qui ambo Auctores diſſolutionem illiûs & corruptionem in ultimo tantùm morbi periodo invenerunt. Quoàd verò hanc in Claſſe Architalaſſi ANSON obſervatam ſanguineam diſſolutionem, varietati temporum, locorum, & forſitàn Scorbuti cum aliis morbis complicationi, multò potiori jure tribuendam eſſe, cenſet.

Jàm verò, cùm utrinquè maximè momentoſa militent obſervata, noſtrum ne erit tantas componere lites, & rejectâ illorum opinione, qui in tribus Scorbuti ſtadiis, ſanguinis integram colliquationem admittunt; amplectenda ne eſt Doctoris ROUPPE ſententia, qui in ultimo tantummodò ſtatu, talem adeſſe voluit degenerationem? Habent utrique, quæ vera fateamur: Quoàd enìm primam opinionem, non fit rationi conſentaneum pronuntiare, quòd adſit jamjàm humorum diſſolutio, ubì prima apparent Scorbuti ſymptomata; probabilius è contrà videtur, in hocce primo ſtatu plethoram & ſpiſſitatem incuſare (nemo ſanè neſcit humorum ſpiſſitudinem ſæpè

» quæ vaſi adhæſit, egeſta. Plerumquè ſanguis ſerum ſuum in mediâ » placentæ parte ſeparavit, & placenta, quæ ſæpiùs in vaſis hæſerat » fundo ab eo fuit obtecta, & ſi diù ſtetit, rubellum evaſit ſerum » quod certè à motu Navis productum fuit. Tamèn contraxit coagulum, » atquè ſeparavit ſerum, ſed Inſula ſempèr manſit major, quàm in primo » ſanguine; ſerum guſtui acre fuit «. *De Morbis Navigant. pag.* 145 *& ſeq.*

(d) Comment. in HERM. BOERH. *Aphor. tom.* 3. *pag.* 610.

(e) Med. Ration. Syſt. tom. 4. *pag.* 10. *edit. in* 4°.

cauſam fieri remotam putredinis). Verùm non aſſentimur D. Rouppe, qui hunc ſpiſſitatis ſtatum, quam veluti ſcorbuticæ labis propriam æſtimat comitem, adhùc eſſe ſecundi gradûs, autumat : nàm ſi tùnc inhærentia attentè conſiderentur ſymptomata, humorum certè facili negotio deteguntur colliquatio & acrimonia, quæ ſempèr in dies, majora excipiunt incrementa, ad uſquè ultimam morbi periodum.

Jàm quoàd difficultatem, quâ defluxit ſanguis Plhebotomiâ eductus, qualem ſe obſervâſſe refert Clariſſ. Rouppe ; nonnè ex atoniâ potiùs vaſorum, quàm ex ſpiſſitudinis vitio oriri potuit ? Præatereà numquìd ſuſpicandum, à temporibus, locis & quibuſdam occurrentibus circumſtantiis, Auctorem hunc forsàn fuiſſe deceptum ? Tandèm nonnè in confeſsò eſt, ſanguineæ maſſæ diſſolutionem apùd varios Ægrotantes, pro ratione temperamenti, ingeſtorum aut potulentorum, magìs minùſve lento pede progredi poſſe ? Porrò apùd Cel. Wan-Swieten ſequentia legere dantur : *ſerum ſanguinis virideſcit magìs* (in Scorbuticis), *acris ſaporis eſt & quandoquè lenteſcit, ità ut gelatinæ conſiſtentiam habeat : quandoquè vidi totum ſerum in talem mucoſam tenacitatem degenerâſſe, aliquandò tantùm partem ejus quæ ſuperiori inſulæ ſatìs firmitèr adhærebat (f).*

D. Travis, Chirurgus Anglus, in ſuâ ad Doctorem Fothergill Epiſtolâ, nupèr evulgatâ in tomo ſecundo cujûſdam Operis cui titulus eſt : *Obſervations & Recherches Médicales, par une Societé de Médecins de Londres*, exiſtimat Scorbutum intèr Navigantes graſſantem, deberi potiſſimùm conſuetudini, quâ in Navibus decoquuntur alimenta in vaſis æneis ſtanno non illitis : propterea quòd, inquit, omnis oleoſa, ſalinave ſubſtantia, aut etiàm vegetabilia dulciſſimi ſaporis, in talibus vaſis, etſi perfectè mundis, ſufficientèr ebullita, diſſolvant ac eli-

(f) Vide *Comment. in* Herm. Boerh. *Aphor. tom.* 3. *pag.* 610.

ciant permagnam hujûs metalli maximè ſolubilis, atquè inſenſiſſimi molecularum quantitatem, quæ in ſanguinis Oceanum raptæ, poſt quoddam temporis ſtadium, ſuam exercent tragœdiam, graviſſimaque Scorbuti ſymptomata producunt.

Haùd mihi reapſè notum eſt, utrùm Navigantes Angli vaſis æneis ſtanno non illitis utantur, pro coquendis cibis; verùm, ut radicitùs excutiatur D. TRAVIS ſententia, obſervatu dignum cenſemus, quòd apùd nos, omnes è Portu *Nannetenſi* velificantes Naves, ſivè ad Ripas appellant Affricanas, pro Nigritis emendis, ſivè ad Americanas tendant Inſulas, nullis inſtruantur cortinis æneis niſi perfectè ſtanno ſint illitæ (quem quidèm uſum in aliis regni portubus vigere credimus): ideò Præfecti Navales, utì ab his accepi, complures ſecum per itinera aſportant cortinas, & in vigilanti habent curâ, ut ab omni immunditie ſerventur. Quod non impedit quominùs ſat crebrò, major minorve Claſſiariorum numerus, in illam urbem quotannis redeant Scorbutici.

Tandèm Clariſſ. MACBRIDE, experimentis quibuſdam non ritè caſtigatis hallucinatus, falſam evulgavit theoriam circà Scorbuti cauſam; quam, ſolutis corporis ergaſtulis, interni aëris fixi eruptioni tribuit *(g)*; undè ſubſequatur partium diſſolutio *(h)*. Sed ingenioſa hæc hypotheſis, quæ nonnullas jamjàm decepit mentes *(i)*, ſubvertitur experimentis quæ nupèr tentavit & trutinnatus eſt Clar. D. LIONS; utì videre liquet in Theſi, quam anno præterito in hocce Ludoviceo, cum omnium adſtantium plauſu, propugnavit *(l)*.

Quantùm erroneæ ſint, variæ de cauſâ Scorbuti jam-

(g) *Eſſais d'expériences*, *pag.* 131.
(h) *Idem*, *pag.* 45.
(i) Vide *Diſſertation ſur les Antiſeptiques par M.* DE BOISSIEU. *Diſſert. ſur les Antiſept. par M.* BORDENAVE.
(l) *De Putrefactione Tentamen Chymico-Med. pag.* 25.

jàm

jàm memoratæ opiniones, ſufficientèr à nobis fuit luſtratum. Ad diverſas nùnc à nonnullis fictas illiûs ſpecies, properemus.

Prima Scorbuti diſtinctio, ſcilicèt in calidum & frigidum, à quibuſdam è neotericis, ſub nomine alkalini & acidi fuit adoptata. Pro variâ ſalium oleorumve acrimoniâ, quam in ſeroſâ ſanguinis parte hoſpitantem & prædominantem effinxit Herm. Boerhaave, variis hunc morbum inſignivit nominibus. Verùm illæ theoriæ, quotidianâ ſubvertuntur experientiâ. Nonnè etenìm alkaleſcentia & calida vegetantia, nempè raphanus, allium, cæpa, ſinapi, naſturtium, cochlearia, &c. luculentiſſimè proſunt in Scorbuto quem calidum vocant, & cujûs cauſa ſalibus tribuitur alkalinis? Nonnè fructus & olera acida idem præbent emolumentum in Scorbuto frigido dicto, necnon acidis tanquàm cauſæ aſſignato? Scorbuti admodùm putridi, ſingulis diebus, curantur uſu juſculorum & apozematum cum apio, braſſicâ, porro, naſturtio, diverſiſque aliis herbis alkaleſcentibus paratorum. Dantur etenìm exempla Navigantium, teterrimis hujûſce morbi ſymptomatis correptorum, qui tamèn, hujûs generis vegetantium ope, integram exceperunt ſanationem; dùm recrudeſcente poſteà Scorbuto, hanc denuò, uſu duntaxàt acidorum, recuperavere. Quorum unum intèr alia complura proferre ſufficit, legendum in opere Illuſt. de Haen *(m)*, excerptumque ex diario itineris in *Novam Zemblam*. Refert duodecim Nautas, anno 1597. *in Inſulam ignotam conſcendentes, præ gaudio exclamâſſe ad viſam primò cochleariam, eo quòd ferè cunctos Scorbutus reddidiſſet penè immobiles; indè non comedendo, ſed continuò vorando, ſe percepiſſe, non modò veras eſſe, quæ cochleariæ in patriâ laudes darentur, verùm etiàm omni illam laude ſuperio-*

(m) *Ratio medendi, tom. 4. §. 11. pag. 152 & ſeq.*

rem ; quandoquidèm celerem adeò mutationem perciperent, ut, paucis poſt diebus panem biſcoctum denuò maſticare, quod dolentes gingivæ, denteſque vacillantes, antè nequiviſſent, commodè inciperent.

Undè forſàn quis ſuſpicabitur (ait Clariſſ. de Haen *) Scorbutum frigidum, ſivè acidum fuiſſe, hìncque herbâ alkaleſcente & calidâ ſublatum; talem verò, ſi acida & aceſcentia antiſcorbutica regio dediſſet, non modò non curatum, ſed in pejus verſum, imò lethalem fuiſſe redditum.*

Reſpondebunt Nautæ iidem. Scorbutus redierat dùm promontorium Wardhus *petituri, multùm in fluctibus aberrâſſent. Appulere demùm in Portum* Cola *vocatum, intimiùſque ſe penetrantes, baccas rubi copioſiſſimas deprehendêre, quibus affatìm comeſtis à Scorbuto convaluere omnes.*

Fructus acido-dùlces copioſiſſimè comedentes, curantur à Scorbuto iidem ipſiſſimi Homines, quos anteà eodem in itinere, eodem in climate, eodem cum victu, cochlearia curaverat. Quid ergò de naturâ Scorbuti ſtatuendum? Acida & Alkalina curârunt ſaltèm eamdem Scorbuti ſpeciem.

Nos verò unum & eumdem eſſe Scorbutum, putridum ſcilicèt, concludimus; diſtinctiones illiûs in acidum & alkalinum, in nauticum & terreſtrem, diverſaſque alias ſpecies ab Eugaleno, Sennerto, Nitschio, Willisio, Gualtero Charleton, præcipuè celebratas, vanas eſſe & inſipientes, meras erroris ſoboles, ab experientiâ & veritate exprobratas, jure quodam reputantes.

Fridericus Hoffman, dùm meritò imperitiores culpabat Medicos, qui in varias ſpecies dividebant morbum hùncce, Scorbutique nomen omnibus quibuſvis ægritudinibus chronicis prodegebant; diverſi attamèn generis ſalia in ſanguine hoſpitantia, æquè ac Doct. Boerhaave excogitavit; horumque variæ naturæ tribuit Scorbuti ſpecies: ab illo dividitur in calidum & frigidum, quibus tertium addit, ſcilicèt putridum. Verùm, duabus primis ſpeciebus rejectis, hâc ultimâ tantùm admiſſâ, bellè rem attigiſſet. Attamèn etſi diverſorum theoriam ſalium fuiſſet

amplexus celeberrimus ille Vir, laudandus certè, quòd, hanc pro baſi ſuæ praxeos non habuerit : ipſe enìm fatetur, nil planè ridiculius eſſe, quàm aliis ſalibus naturâ diverſis, ſalium correctionem (*n*). Quot è contrà ab hâc obcæcati theoriâ, huic ſuam accommodârunt praxim, & Scorbuto curando numeroſiſſimas chymicas præparationes, ſalia præſertìm, ſuppoſitæ acrimoniæ adverſa celebrârunt, & cum maximo ægrotantium damno uſurpavere ! Tandèm in ſanguine animalium viventium nec acidum, nec alkalinum, hucuſquè fuere demonſtrata ; niſi cum putredine confundatur alkaleſcentia.

CAPUT SECUNDUM.

De Ætiologiâ ſeù de veris Scorbuti cauſis, deductis ex obſervationibus, tàm Mari, quàm Terrâ, accuratè inſtitutis.

QUANQUAM frequentiſſimè graſſetur Scorbutus intèr Navigantes, nihilominùs tamèn morbus is, pretioſiſſimæ huic Hominum claſſi, tanquàm peculiaris non eſt conſiderandus : terrarum ſiquidèm Incolæ, vitam non degunt illâ labe immunem ; cùm cauſæ à quibus ortum ducit, Terrâ paritèr ac Mari occurrant : nec etiàm parcit Infantulis. Ab iiſdem ſenſilibus & evidentibus procreatur cauſis, quìn ulla meritò poſſit incuſari ſpontanea humo-

(*n*) » Quantumvìs verò allegatam ſalium differentiam lubentèr largiar, » valdè tamèn ridicula mihi videtur tàm diverſa & anxiè excogitata eorumdem correctio : ſiquidèm demonſtratum dabo, tantùm unicam, » eamque tutiſſimam & experientiæ magìs conformem eſſe methodum, » ſalia morboſa cujûſcumque generis cicurandi, quæ videlicèt per convenientia fluida obtinetur ; ut potè hæc cuicumque ſali temperando » & corrigendo reſpondent abundèque ſufficiunt «. *Med. Ration. Syſt. tom. 4. cap. 1. pag. 27 edit. in 4°.*

505

rum degeneratio. Magìs minùſve epidemicus viget & malignus, prout cauſæ procatarticæ de quibus modò, plùs minùſve permanentes, aùt accidentales ſæviunt. Hìnc fit ut Mari, ubì frequentiùs & diutiùs ſobolefcunt, majorique agunt intenſitatis gradu, Scorbutus familiaris habendus ſit morbus, & ſæpè ſæpiùs majorem, quàm Terrà adipiſcatur malignitatem.

Proindè cùm cauſæ generales factæ, ad ſummum devehantur gradum, epidemicè tùnc viget morbus ſtrageſque edit atrociſſimas, quarum Hiſtorici teterrima nobis tradiderunt exempla *(o)*. Per longa & ardua itinera ſæpiſſimè Navigantes *(p)*, & non ſemèl terreſtres paritèr exercitus ferocitèr invaſit. Expugnatas frequentèr profligavit urbes, ſicutì evenit per obſidium *Rupellenſe*, anno 1628, & *Thorunenſe*, anno 1703. Suam aliàs exercet tyrannidem in regiones integras, utì apùd *Brabantinos* anno 1556, apùd *Batavos* anno 1556 & 1562. *Pariſiis* viguit paritèr epidemicus, anno 1699.

In omnibus ferè ſeptentrionalibus & frigidis plagis, in *Iſlandiâ*, *Groenlandiâ*, *NorWegiâ* præcipuè, *Scandi-*

(o) Primus intèr Hiſtoricos Scorbutum graphicè deſcripſit teſtis oculatus Nob. DE JOINVILLE, in Hiſtoriâ Chriſtianiſſimi Regis LUDOVICI IX., cujûs exercitus diro illo morbo fuit correptus, in *Ægypto* propè *Damiatam*, anno circitèr 1260. » Nous vint vne grant perſecution & maladie en » l'oſt : qui eſtoit telle, que la chair des jambes nous deſſécheoit juſques » à l'os, & le cuir nous deuenoit tanné de noir & de terre, à reſſem» blance d'vne vieille houze qui a eſté long-temps mucée derriere les » coffres. Et oultre, à nous autres, qui auions celle maladie, nous venoit » vne autre perſecution de maladie en la bouche, de ce que auions » mengié de ces Poiſſons [*Burbotes*], & nous pourriſſoit la chair d'entre » les gencives. Dont chacun eſtoit orriblement puant de la bouche. Et en » la fin gueres n'en eſchappoient de celle maladie, que tous ne mouruſſent. » Et le ſigne de mort que on y congnoiſſoit continuellement, eſtoit quand » on ſe prenoit à ſeigner du neys : & tantouſt on eſtoit bien aſſeuré » d'eſtre mort de brief «. *Hiſt. de St. Louis par* JOINVILLE, *part.* 2. *p.* 57.

(p) Decem millia Navigantium numeravit *Anglia*, quos per ultimas Bellonæ cædes, intrà decem & octo menſes, Scorbutus cruentæ Parcarum falci ſubjecit. Vide *Mêlanges curieux & intéreſſants*, *pag.* 54.

naviâ , *Hollandiâ* , &c. , ubi indeſinentèr ferè perſiſtunt cauſæ , endemicus eſt hic morbus.

Tandèm ſporadicus eſt , ubi cauſis minùs frequentèr occurrentibus , minima tantummodò Incolarum pars , illo corripitur ; ut in *Angliâ* , *Hyberniâ* , *Galliâ* , pluribuſque *Germaniæ* locis , &c.

Neminem ſanè latet , quòd , ut morbi tutò ab aptis debellentur remediis , cauſarum à quibus gignuntur perſcrutatio & notitia , maximi ſint momenti. Earum ſiquidèm cognitio (juxtà hoc Galeni præceptum : *Medicus ſi ſuffecerit ad cognoſcendum* , *ſufficiet ad curandum ; prima namquè remediorum inventio eſt cognitio morbi*) , ad veras indicationes curatorias , & ad adhibendorum remediorum ſelectionem , Medicum quaſi manu conducit. Præcepti hujûs veritatem apprimè noverunt celebriores Medici ; & illi qui , quotidianis clamoribus , cauſarum diſquiſitionem ſupervacaneam & inutilem prorſùs eſſe , in morbis ritè pertractandis , aſſerere conantur , ſuam certò vociferantur inſcitiam *(q)*.

Quantùm norma hæc rationi ſit conſentanea , nos paritèr agnovimus ; & ſedulò penſatis quampluribus factis propoſito ſcopo cohærentibus , meritò cenſemus , Scorbutum ortum ſuum debere omnibus , quæ perſpirationem *Sanctorianam* ſufflaminare & diù cohibere queunt : videlicèt humida & frigida aëris conſtitutio ; fervidiſſimi calores *(r)* ; triſtia animi pathemata , ſicutì tædium , ſol-

---

(*q*) Contendere nolumus multigenas ægritudines non poſſe curari , niſi veræ illarum cauſæ noſcantur : tantùm verò tutiùs & faciliùs illas fore ſanabiles , ſi perfectè noſcerentur. Hæc ratio Medicos inducere debet [experientiâ , analogiâ , ratiocinioque rectè impenſis] ad morborum cauſarum diſquiſitionem , quantùm id fieri poſſit ; ne dùm illam quaſi inutilem rejiciant.

Non poſſis oculos quantùm contendere Lynceus ;
Non tamèn idcircò contemnas lippus inungi.

(*r*) Vide præſtantiſſimum Opus Doct. Raulin , in quo ritè exponit, quomodò imminui , vel etiàm ex integro ſupprimi poſſit perſpiratio inſen-

licitudo, timor & mœſtitia *(s)*; vita iners & ſedentaria *(t)*; ardua tùm animi, tùm corporis diutinè protracta

ſibilis per cutaneos tubulos, ſub fervidiſſimis caloribus æſtivis. *Maladies occaſionnées par les variations de l'air*, *chap.* 7. *pag.* 88. Videſis adhùc ejûſdem Operis, *caput* 5. *pag.* 72 *& ſeq.*, ubi doctiſſimè differit Auctor de perniciosis admodùm effectibus, qui ex illâ fonte ſcaturiunt.

(s) Triſtia animi pathemata, intèr potiſſimas hujûſce morbi cauſas prædiſponentes meritò quoquè annumerandæ ſunt. Miros etenìm hæc quotidiè præſtant effectus in œconomiâ animali, cùm labefactatum digeſtionis, chylificationiſque negotium, faciei pallor, cordis palpitationes, perſpirationis inſenſibilis ſuppreſſio, viſcerum obſtructiones, aliaque ſexcenta ab illâ unicâ cauſâ ſæpiſſimè pendeant; aliquandò etiàm mortem inferant ſubitaneam. Verùm tot exempla ab Auctoribus memorantur effectuum triſtitiæ in Scorbuto procreando, morteque accelerandâ, ut in his enarrandis charta non ſufficeret: non poſſumus tamèn quìn aliquot ex illis hìc referamus.

Rembertus Dodonæus novit » quemdam admodùm anguſto carceri incluſum, loco non humili, ſed editiore, ubi nulla murorum » exhalatio, & aëris liber per patentes feneſtras ac cancellos erat aditus, » hoc morbo ſatìs gravitèr affectum; cui non prava victûs ratio, ſed » anguſti & diuturni carceris tædium, morbum pepererat ». Vide *Med. Obſ. Exempla rara*, *pag.* 59.

Aliud ſingulare reperitur exemplum mœroris effectûs, in egregio Opere Doct. Rouppe; quod ſe ipſum vidiſſe teſtatur, in Nave cui præerat tùnc Nob. Everzen: » Tempore, *ait*, quo Præfecti imperii maritimi Claſſiarios » hujûs Navis luſtrâſſent, miles quidam dimiſſionem petiit, aſſeverans » ſe ob Scorbutum quo tenebatur, ampliùs ſervire non poſſe. Verùm » cùm ipſi dixiſſem, quòd magnâ ex parte priſtinam ſanitatem recupe» raret, antequàm Navis ingrederetur in Mare; quòd ſufficientèr habe» ret adhùc vires ad vitam in tali quo eſſet, ſtatu, diù ſervandam, » atquè quòd imperii maritimi Præfecti nollent eum dimittere; corru» gatâ fronte reſpondit: vides me deſcendere & brevì quoquè mor» tuum fore; reverà etiàm obiit eodem die «. *De Morbis Navigant.*, *pag.* 126.

Rurſùs obſervavit idem jàm laudatus Auctor, quòd, Homines qui vi coacti in Naves trahuntur, citiſſimè Scorbuto corripiantur. Vix quodam tempore manſerunt in Navibus, quàm ventris tumores, ſtatûs morboſi viſcerum fiunt nuncii; & ſi aliæ cauſæ cum mœroribus concurrant, tunc lethum acceleratur. Tandèm ſi conſulatur Hiſtoria itineris Architalaſſi Anson, legere dabitur, quòd eodem momento, quo Claſſiarii gratam ſpem amiſerant ſuos repetendi Lares, in pejus abierint Scorbuti ſymptomata.

(t) Quantùm vita iners & ſedentaria, intèr potentiores Scorbutum producentes cauſas, recenſenda ſit, plurima demonſtrant exempla. Se

opera ; ſolitarum corporis exercitationum promptior ceſſatio ; diuturna vegetabilium recentium & fructuum horariorum penuria ; uſus conſuetus ciborum craſſorum, viſcoſorum & concoctu difficilium, putà, carnium & piſcium ſiccatorum, muriâ conditorum, fumove induratorum, caſei vetuſtioris, butyri annoſioris & rancidi, farinaceorum non fermentatorum, piſorum, fabarum, &c. ; aquæ dulcis modica potatio vel inopia, utì in longioribus nauticis itineribus aliquotiès accidit ; Venus immoderata ; crapula frequens ; liquorum ſpirituoſorum & ardentium abuſus ; veſtium & corporis ſordities ; morbi chronici prægreſſi, Febres præſertìm intermittentes ; ſoliti menſium aùt hæmorrhoïdum fluxûs ſuppreſſio;

---

etenìm obſervaviſſe refert Illuſt. ROUPPE, illos qui in Navibus exercitationi indulgent, quales ſunt remiges, Scorbuti immunes degere ; licèt iiſdem, quibus alii Nautæ, utantur alimentis. Mari perraro obſervantur infantes & adoleſcentes exercitationibus & ludis dediti, qui hoc morbo corripiantur ; & ſi forſitàn horum aliquis Scorbuticus evadat, id non pendet, niſi ex eo quòd immotus diù ſteterit in lecto, nulloque exercitii genere corpus recreaverit.

Milites in Navibus vecti, frequentiùs & graviùs multò, Scorbuto afficiuntur, quàm Nautæ : namquè obſervavit D. ROUPPE & vidit in Navibus *Batavorum*, quòd ſi ſeptem hoc morbo laborent, quatuor, ad minimum, numerentur milites, quamvìs horum numerus multò minor ſit turbâ Nautarum : quam differentiam, motûs & exercitiorum defectui, meritò tribuendam eſſe cenſet ; quaſi, ait, » ſaltare aut ludere dedeceret » militem «. *De Morbis Navigant.*, *pag.* 103.

Hæc jàm recenſita facilè demonſtrant, quòd, ſi motu debito corpus exercerent Nautæ, vìx Scorbuto afficerentur. De hâc re nulli dubitant qui in Navibus *Boni Nautæ* vocantur, id eſt laborioſi ; câque de cauſâ, ſcorbuticis ludicrum *Pigrorum* cognomen imponunt ; quià plerumquè ſegnes & pigri, hoc morbo laborantes obſervantur.

Celeberrimus WAN-SWIETEN aſſerit ſe multos vidiſſe » qui laborioſâ » vitâ & frugali, tantum acquiſiverant pecuniæ, ut ingraveſcente ætate, » paucis contenti, leni in otio vivere poſſent ; his ſempèr ſuaſi, *inquit*, » ut quotidianis deambulationibus, agriculturâ, vel alio quovis modo » corpus exercerent : quod ſi negligerent, brevì in hunc morbum inci- » debant «. *Comment. in* HERM. BOERHAAVE *Aphor.*, *tom.* 3. *pag.* 596.

Tandèm in terreſtribus exercitibus, notatum fuit, Scorbutum plùs & ferociùs ſævire intèr pedites, quàm intèr equites, qui majoribus quotidianis exercitiis, quàm alii, incumbere coguntur.

itèm crebræ & ingentes hæmorrhagiæ : his addendum eſſe volunt D. ROUPPE & EVERARDUS MAYN-WARINGE nimium herbæ nicotianæ uſum, ſivè maſticetur, ſivè fumus ipſiûs hauriatur ; cui lubentèr aſſentimur opinioni *(u)*.

Verùm, has intèr Scorbuti cauſas, non eodem intenſitatis gradu donantur omnes ; majori enìm ſempèr agit energiâ aëris humida temperies, quæ ſola abſquè cujûſcumque alteriûs concurſu, ſi diù perſeveret, & ab ejus vi corpus non ritè muniatur, morbum hunc procreare poteſt. Poſt cauſam hanc, primum tenent locum diuturni mœrores *(x)*, & corporis ſegnities : verùm hæ, ſicutì & aliæ ſuprà recenſitæ, ſi unà cum aëris humiditate non concurrant, nullatenùs aùt ſaltèm rariſſimè Scorbutum gignunt ; hujûs ſolummodò tanquàm prædiſponentes cauſæ haberi debent.

Verùm enìm verò, ut liquidiùs appareat, nil à nobis fuiſſe prolatum, quod experientiâ & ratione non fulciatur ; obſervationes nonnullas, quibus hæc noſtra firmetur opinio, referre liceat ; & ex quibus unà confertis & ritè perpenſis, judicatu facillimum erit, utrùm à veri tramite receſſerimus ; & nùm ex conſequentiis exindè deductis, ſat firmum ſuperſtrui poſſit fundamentum, ut hujûs ope, morbi illiûs curationem tutò moliri queat Medicus. Siquidèm cùm ex ſolo & nullis obſervationibus

(*u*) Si rectè perpendatur, quantùm ciborum maſticationi, deglutitioni & concoctioni noceat nimia ſalivæ exſpuitio, non certè pro deliramento habenda erit hæc ſententia, utì contendit D. GILBERT, *pag.* 16, *Tentaminis de Scorbuto propugnati*, *Monſpelii*, *anno* 1762.

Videſis obſervationem de deglutitione à fumo nicotianæ læſâ, in *Miſcell. curioſ. decur.* 3. *ann.* 1. *obſ.* 79. ; & aliam de fumo nicotianeo ventriculi hoſte infenſo. *Idem*, *decur.* 2. *ann.* 9. *obſ.* 104.

(*x*) Apprimè jamdudùm cognoverat AVICENNA, triſtitiam, cutis cohibitâ perſpiratione, humorum putredinem inducere poſſe. » Triſtitia, *inquit*, » calorem nativum debilitat, corpus refrigerat & exſiccat, & faciem reddit » decolorem, pulſumque imminuit, proptèr cordis conſtrictionem, interdùm febrim incendit, ob diflationem prohibitam, ex quo putredo in » humoribus accenditur. *Lib. de Viribus Cordis*, *cap.* 6.

fulto

ſulto ratiocinio, theoria ſæpiſſimè diffluat funeſtiſſima; ſic ab obſervatione nudâ, alterum ſanè non minùs pertimeſcendum oriretur damnum, empyrica ſcilicèt agendi ratio. Ut igitùr ad alterutrumque ſcopulum non allidatur Medicus, obſervata conſultò penſitare debet, ut rectas ex his depromat conſequentias, quæ, ut ità dicam, facium inſtar collucentes, hunc ad veram naturæ morbi notitiam, quantùm id fieri poſſit, conducant. Nùnc autèm loca, tempora, circumſtantiæ, in quibus ſeſe prodit Scorbutus, tùm & ſubjecti quos plerumquè infeſtat, conſideranda nobis incumbunt.

Scorbutus, ut jàm diximus, endemicus eſt morbus in plerìſque borealibus plagis, ubi acriores ſunt hyemes, & ſæpè ſæpiùs nebuloſæ necnon imbriferæ tempeſtates. Lacubus & ſtagnis aùt Mari vicina loca maximè adoritur. Obſervatione compertum manet, accolas regionum paludoſarum, aùt crebris inundationibus ſubditarum, denſiſſimis obtectarum nemoribus, labi huic æquè ac Febribus intermittentibus obnoxios eſſe. Quibuſdam in regionibus, morbo illo generatìm corripiuntur, qui, ſubterranea loca, cubicula lapidibus inſtrata & exſtructa, vel infrà ſolum depreſſa inhabitant; in quibus quidèm vitam degit *Batavorum* & *Belgarum* maxima pars; continuam ibi patientes humiditatem, adeò ut lecti, ſtramina, ſupellectilia, ſempèr madefacta citò corrumpantur. Undè corpus ab his noxiis impreſſionibus minimè tutum manens, gingivas habent cruentas, dolorificas, putridas, doloribuſque modò per totos artus vagantibus, modò fixis, maximoperè cruciantur. Obſervatur è contrà, quòd qui in ædibus exaltioribus & ſiccis vitam ducunt, nunquàm aùt ſaltèm rariſſimè Scorbuto inficiantur. Et licèt Olaus Magnus complurium aliorum veſtigiis inhærens, uſum ſalſorum ciborum & indigeſtorum, tanquàm cauſam potentiorem hujûs morbi aſſignâſſet, nihilominùs tamèn in confeſſo illi erat, illum *frigidâ murorum exhalatione foveri. Sed vim tantam non*

habebit, ubi muri interiùs tabulis quorumcumque lignorum ſunt cooperti (y).

Notandum eſt intereà, quòd in *Angliâ* Incolæ maritimarum arcium, in locis frigidis, profundioribus & humidis ſitarum, veris Scorbuti ſymptomatibus, cruribus nempè œdematodeis ac ulceratis, gingivarumque putredine tententur; dùm è contrà pagi vicini, ſed in ſolo ſicco & arenoſo locati, aëreque multò minùs vappido perflati, labem hanc minimè experiuntur. Tandèm Doctor GRAINGER (z) ſe noviſſe refert *Anglicam* quamdam familiam, habitantem villam in loco frigido necnon Mari propinquo (a) exſtructam, quæ putridis gingivis, cru-

---

(y) *Hiſtoria de Gent. Septent. Lib.* 16. *cap.* 51.

(z) Vide *Epiſtolam inſertam tom.* 1. *Tractatus de Scorb. Doct.* LIND.

(a) Hæc talis circumſtantia, nonnullis anſam præbuit Auctoribus, perperàm excogitandi, Scorbutum deberi, ſalſis moleculis, de hâc ingenti aquarum congerie exhalantibus, aërique commiſtis. Hâcce etiàm opinione hallucinatus fuit D. BORDENAVE peritiſſ. Chirurgus *Pariſienſis*, ut liquet ex ſuâ de Antiſepticis gallicè ſcriptâ Diſſertatione; quæque prima acceſſit ad præmium ab Academiâ *Divionenſi* propoſitum, anno 1767: in quâ ſequentia leguntur, paginâ 159. » Un air trop humide produira le même » effet [*la putréfaction des humeurs*] en relâchant trop les ſolides, par » les raiſons expoſées ci-devant. C'eſt ainſi que l'on voit des œdêmes, » des leucophlegmaties, des gangrenes par relâchement dans les pays fort » humides & marécageux. Si l'air eſt en même tems chargé de molé» cules ſalines, la pourriture & les affections ſcorbutiques ſeront plus » communes; les habitations ſur le bord de la Mer ou dans certaines » Iſles, en fourniſſent des preuves, &c. «. In quem incidit errorem Doct. GILCHRIST, in Opere nuperrimè ex anglo idiomate in gallicum verſo, cui titulus eſt: *Utilité des voyages ſur Mer dans la Conſomption, &c. pag.* 9.

Verùm aër, è Maris æquoribus in terras vicinas perflans, nullis imbuitur ſalinis moleculis; nàm experientiâ conſtat, ſal marinum, præ ſummâ fixitate, nullâ donari proprietate, ex ſe & ſpontè in auras avolandi. » L'air de la Mer «, *dit Mr.* BIGOT DE MOROGUES, *dans ſon Mémoire imprimé dans le premier volume des Mémoires préſentés à l'Académie Royale des Sciences de Paris par les Sçavants étrangers,* » doit » être, plus qu'aucun autre, exempt de parties hétérogenes; s'il eſt » mêlé de quelque choſe, ce ne peut être que d'une vapeur aqueuſe, » légère, inſipide & dégagée de ſel, & c'eſt preſque la ſeule qui puiſſe » s'élever de ſon ſein; car les ſels qui ſont mêlés avec l'eau de la Mer,

ribus œdematoſis, ulceratis, aliiſque Scorbuti ſymptomatibus afficiebatur.

Porrò, nonnè plurima dantur exempla infortunatorum, qui carceribus, aùt cameris humidis incluſi, ſcorbuticâ labe fuere conflictati; etiàmſi victu ſaluberrimo uterentur. Caſum hunc ſe vidiſſe teſtantur Illuſt. D. POISSONNIER DES PERRIERES *(b)*, & D. GRAINGER *(c)*. Vidi & ipſemet (ſi quid mea valeant obſervata) de adoleſcente quodam 24 aùt 25 annorum nato, *Andegavi* in carcere humidiori detento, de quo quidèm jamjàm cap. 1°. ſum profatus. Is poſt hebdomadas ſex, quibus tamèn quotidiè bono victu alebatur, vegetabilibus ſcilicèt, vino probò, pane & carne recentibus, Medico conqueſtus eſt de doloribus per totum corpus erraticis. Egreſſus tùnc è carcere, ſalubriorem petivit locum, cum pallidâ & tumidâ facie, tibiiſque œdematoſis : aſt paucis diebus elapſis, eſſentialia Scorbuti apparuerunt ſymptomata, & menſi-

---

» ſont tellement fixes, qu'ils ne peuvent être élevés par la chaleur de » l'eau bouillante ; & ſi les Navigateurs ſentent quelquefois ſur leurs » lévres un goût de ſel marin, il ne faut pas l'attribuer à la ſalure de » l'air qu'ils reſpirent, mais à des particules d'eau que le vent éleve quand » il a beaucoup de force. L'eau des pluies n'eſt point ſalée, neanmoins » la plus grande partie des nuages ſont formés d'une immenſe quantité » d'exhalaiſons qui s'élevent de la Mer.

Perſuaſum paritèr habet Doctor ARBUTHNOT quòd nulla molecula ſalina è ſinu Maris erumpere poſſit. Vide *Eſſai des effets de l'air ſur le Corps humain, pag.* 87.

Unam ſalis marini libram, in ſufficienti aquæ fontanæ quantitate diſſolutam, igne etiàm fervidiſſimo, diſtillavi : peractâ diſtillatione, aquam in recipiens vitreum alembico accommodatum collectam, pluribus propinavi adſtantibus, & ipſemet guſtavi : hæc, ne vel minimo quidèm ſalſo ſapore referta, ſed æquè inſipida ac purior aquâ fontanâ, ab omnibus inveniebatur.

Tandèm apud omnes Phyſicos in confeſſo eſt, ſal marinum fixiſſimum eſſe : & ſi quarumdam inſularum & locorum maritimorum accolæ, Scorbuto magìs obnoxii obſerventur ; id pendet duntaxàt à nebuloſâ, humidâque illorum topotheſiâ.

(*b*) Vide *Maladies des Gens de Mer, pag.* 117.

(*c*) Vide LIND, *Traité du Scorb. tom.* 1. *pag.* 235.

513

bus duobus poſt, Anaſarcâ Scorbutum ſubſecutâ periit. Notatu hîc digniſſimum credimus, quòd, regiones integræ, ob humidiorem ipſarum topotheſiam, olìm Scorbuto obnoxiæ, hoc morbo nùnc multò minùs infeſtentur; propterea quòd harum incolæ abundantiori vini & cereviſiæ potationi indulgeant, ſicciores in editiori ſitu exſtruxerint ædes, tùm & potiſſimùm aquarum ſtagnantium effluvio, paludumque exſiccationi, navarint operam. Idcircò refertur quòd, *Batavorum* camporum inundationes, diſruptis aggeribus, ut hoſtium incurſiones detorquerentur, viam pluriès Scorbuto panderint.

Stugardiæ in *Sueviâ* apùd *Germanos*, morbus hic olìm ſæpiſſimè graſſabatur: verùm ſpatioſo lacu huic urbi vicino exindè ritè exſiccato; ab eo tempore, ignotus penè factus eſt. Tandèm in *Rheni* ripas, poſt fluminis hujûs inundationes, à *Durlaco* ad *Moguntiacum* & præcipuè in *Philippoburgum*, ſæpè tyrannidem ſuam exercet.

Ex jàm allatis & ſedulò perpenſis obſervationibus comprobatum manet, aëris humiditatem, potiſſimam eſſe Scorbuti cauſam; quandoquidèm conſtat indubitantèr, quòd abſquè ullo viſcoſorum ſalſorumque ciborum uſu prægreſſo, ſæpiſſimè viguerit ille morbus. Verùm ut firmiori ſtet baſi hæc aſſertio noſtra, alias complures exarare liceat obſervationes, quibus non minùs, quàm illis jàm ſuperiùs memoratis, fulcitur. Adeò momentoſam eſſe hanc noſtram diſquiſitionem cenſemus, ut neutiquàm culpanda judicabitur utpotè prolixior, hæc noſtra argumentorum ſeries.

Sinopæus *Cromſtadii* obſervaverat, Scorbutum, tùm & ejus malignitatem, ab aëris humiditate ferè ſempèr pendere: redeunte verò ſiccitate, morbum citiùs evaneſcere.

Doctor Brownrigg compertum habuiſſe teſtatur, utì patet in ſuo Opere de modo conficiendi ſal marinum

(d), Scorbutum graſſari frequentiùs in quibuſdam oris *Angliæ* vento auſtrali marino perflatis ; quod non immeritò adſcribit Auctor humiditati, quam ſecum in terras ipſimet afferunt venti.

Ronsseus, unus intèr Medicos, qui de Scorbuto primi ſcripſere, cùm annotâſſet, paludicolas hoc ſæpiſſimè & moximoperè tentari, quamvìs iiſdem ac cæterarum regionum accolæ, uterentur cibis, nullaque foret diſcrepantia quoàd alias quaſcumque circumſtantias ; humiditatem aëris, pro unâ ex potiſſimis illiûs cauſis, habendam eſſe, apprimè reputavit. In *Hollandiâ*, cùm anno 1556, auſtrini & favoniani venti ſufflarent, imbreſque continuò ferè deciderent ; accolas infeſtavit Scorbutus, & ad orci fauces deduxit. Humidiorem paritèr atmoſphæricam conſtitutionem anni 1562, citiſſimo pede ſubſecutus fuit is morbus ; in plurimos ſæviit, maximumque malignitatis adeptus eſt gradum. Tandèm etſi endemica eſſet apùd *Hollandos* hæc labes ; nonnunquàm annotaverat prælaudatus Auctor, quòd ſi pluvialis aut humidior fieret tempeſtas, hâc ſolâ occaſione datâ, frequentior tùnc aùt epidemica graſſaretur *(e)*.

Obſervaverat itidèm Salomon Albertus, frequentiſſimum fuiſſe Scorbutum, eo ipſo anno ſicutì & præcedenti, quo, ſuum de hoc morbo elucubrabatur Opus ; ob varias cœli mutationes, imbreſque denſiſſimas, quæ fervidiſſimis ſucceſſerant caloribus *(f)*. Gregorius Horstius paritèr animadverterat, dùm Medicinam in *Brandeburgenſi Marchiâ* factitabat, morbum hunc crebriorem & periculoſiſſimum eſſe, in locis, ubi incolæ cereviſiam epotabant recentem non defœcatam, & ubi ſolum erat humidum atquè paludoſum.

Legitur apùd Celeberrimum Monro *(g)*, quòd Scor-

(d) Vide *pag.* 173, 174, 175.
(e) Balduini Ronssei *de mag.* Hippocratis *lienibus*, *&c.*
(f) *Scorb. Hiſtoria propoſ. in public. anno* 1593.
(g) *Maladies des Armées*, *tom.* 2. *pag.* 442.

butus per bellum ultimo proximum, intèr *Anglos* milites *Bremæ* frequentiſſimè graſſatus fuerit, ideò quòd, inquit, oppidum illud in planitie naturalitèr humidiori ſitum ſit: adde quòd militum cohortes contubernia habitabant infrà ſolum depreſſa atque humida, praviſque de cetero nutriebantur annonis.

In *Angliâ* notatum fuit, & apùd noſtrates in plagis præprimìs ſeptentrionalibus paritèr obſervatur, piſcatores ſæpiſſimè infici Scorbuto, dùm è contrà vitam prorsùs ab hoc expertem ducant aratores, quamvìs eodem & etiàm craſſiori victu utantur. Quod quidèm diſcrimen meritò adſcribendum eſſe cenſemus, potiſſimùm eo quòd, primi toto ferè anno in aquis verſentur, multò ſubjiciantur cœli mutationibus, necnon ſæpè ſæpiùs veſtes madidas ſibi induant. Aratores verò multò minorem patientes humiditatem quàm piſcatores, immunes vivunt illiûs exitioſis effectibus.

Refertur ab omnibus ferè neotericis qui de hoc morbo ſcripſerunt, quòd cùm terreſtres exercitus Scorbutus infeſtaverit, ſempèr fuerit annotatum (quod & paritèr Mari fuit obſervatum utì infrà dicetur), Præfectos, equitum turmas, & alios ex militibus qui ditiori donabantur ſtipendio, quàm gregarii, illo fuiſſe prorsùs immunes; etiàmſi utrique indiſcriminatìm aliis morbis corriperentur endemicis, in locis, ubi erant ſtationarii: Quæ differentia certè repetitur, ut aiunt illi Auctores, ab eo quòd primi, ratione ſtipendii ditioris, meliori uterentur victu, & quòd potiſſimùm meliùs veſtiti, noxioſam arcere poſſent aëris intemperiem.

Plura dantur alia obſervata quæ luculentèr probant, Scorbutum multò crebriùs & maligniùs ſævire, humidâ & pluviosâ tempeſtate, autumno, v. g. & hyeme; vernо verò tempore, miteſcere; ac æſtate plerumquè prorsùs evaneſcere. Quod quidèm non aliæ cauſæ tribuendum occurrit, niſi *Sanctorianæ* perſpirationi imminutæ, imò etiàm quandoquè penitùs ſuppreſſæ per rigores diù vigen-

tes, humiditatem & alias atmoſphæræ mutationes, hyeme & autumno plerumquè frequentiſſimas. Fit è contrà, redeunte vere, ut grata tùnc cœli temperies, calorque æſtivus ſuccedens, liberæ hujûs humoris excretioni favendo, imminuant ſymptomatum atrocitatem, necnon ſæpiſſimè ſanationem integram importent.

Hæc omnia jàm ſat fusè recenſita, ad noſtræ ſententiæ veritatem, de potentiori causâ Scorbuti, adſtruendam ſufficerent : verùm cùm obſervationes Terrâ tantùm peractas retulerimus, his alias quas Mare ſuppeditavit, adjungere lubet ; ut probationum noſtrarum (ſi fortè quibuſdam adhucdùm mentibus inhæreret dubium), abſolvatur complementum.

Legere datur in hiſtoriâ itinerum & inveſtigationum à *Ruſſicis* Navigatoribus inſtitutarum, per oras Glacialis Oceani, (in quâ ſatìs accurata reperitur Scorbuti deſcriptio *(h)*), quòd poſt humidiorem & deìn frigidiſſimam aëris conſtitutionem *(i)*, furioſamque per dies ſeptemdecim Maris procellam, hâc labe dirum adeò in modum conflictati fuerint, anno 1741 ; ut horum dimidiam ferè partem, imò Navarchum ipſummet trucidaverit.

Illuſtriſſimus Lind, per nautica duo itinera in Oceanum *Britannicum* excurſa, annis 1746 & 1747, in Claſſiarios atrociſſimè ſævientem hunc morbum obſervavit. Nullæ aliæ cauſæ occurrebant, quæ huic viam panderent, niſi humiditas & atmoſphæræ intemperies. Prima navigatio intrà ſex, ſecunda verò intrà undecim hebdomadas, menſibus Aprili, Maio & Junio fuerunt peractæ. Horum duorum itinerum initio, tempus algidum, maximè nebuloſum & pluviale perpeſſi fuere Claſſiarii : undè, uno menſe, aut hebdomadibus ſex vix elapſis

(h) *Voyages & Découvertes faites par les Ruſſes, le long des Côtes de la Mer Glaciale, &c.* Vide *pag.* 293.
(i) Idem, *pag.* 283 & 287.

poſt eorum à Portu diſceſſum, hos dirus preſſo pede corripuit Scorbutus. Verumtamèn cùm inſtruerentur Naves optimâ aquâ dulci, proborumque cibariorum copiâ; his tàm generalis labes neutiquàm veniebat tribuenda. Inſupèr etiàmſi Præfectus Navis, nutrimenta recentia, videlicèt juſcula ex vervecibus gallinisque confecta, tùm etiàm fercula è ſuâ menſâ educta, ſingulis diebus, ægrotantibus præſtitiſſet: nihilò tamèn minùs, omnes illæ ſuppetiæ morbum ſiſtere nequiverunt; & ex trecentis quinquagenis Hominibus qui Navem regebant, poſt duos menſes & tertium dimidiatum, octoginta in *Pleymuthi* Portum, hâc crudeli labe plùs minùſve conflictati, depoſiti fuere *(l)*.

In doctiſſimo Opere ſuprà laudato, reperitur Epiſtola documentis condita D. MURRAY ad Auctorem, circà hunc morbum. Meritò cenſet, humidum aërem tempusque nebuloſum, potiſſimam illiûs eſſe cauſam *(m)*. Intèr complura alia quæ ſuam comprobant ſententiam, refert exemplum ſibi ipſi occurſatum, in Nave *le Canterbury*, cum aliâ Nave *le Norwich*, curſum tenente. Hæ duæ ſociæ Naves, poſtquàm ſex menſibus ſtetiſſent ad anchoras in Portu *Ludovicoburgi*, ubi Claſſiarii pane probo, aquâ dulci, variis piſcium recentium

---

(l) Vide LIND, *Traité du Scorbut*, *tom.* 1. *pag.* 135. Quod quidèm indubitantèr comprobat, diri illiûs mali ortum & incrementum pendere tùnc à pravâ aëris temperie: dùm integrè fuit ſervata eorumdem Nautarum ſanitas, per itinera alia multò longiora; ſed in quibus favebat illis ſecunda tempeſtas.

(*m*) Ab hâc quoquè non diſcedit ſententiâ JACOBSON DEBES olìm Gubernator Inſularum *Feroé* dictarum (*), in præcipuâ Scorbuti, qui in his Inſulis endemicus viget, cauſâ aſſignandâ [ut liquet ex harum quam evulgavit deſcriptione]; dùm cenſet cum cordatioribus obſervatoribus, morbum hunc, ab aëre frigido & præſertìm humido, ſempèr natales ducere. Vide *Acta Haffnienſ. anno* 1671 & 1672, *Obſ.* 49.

(*) Inſulæ *Feroé*, quas alii vocant *Fero*, *Farré*, *Farro*, *Farroé*, ſunt octodecim aùt viginti numero, ſitæ ad ſeptentrionem *Scotiæ* & ad ſexaginta duos latitudinis gradus, intèr Inſulas *Schetland* & *Iſlandiam*.

ſpeciebus,

ſpeciebus, ac generatìm eximiis penoribus aliti fuerant; versùs inſulas *Bahama* dictas velificârunt: ſed, tempore ferè ſempèr procelloſo, humido, nebuliſque obruto perſtante, uno menſe vìx ac ne vìx elapſo, Scorbutus in utrâque Nave viguit epidemicus; ità ut quinquaginta Homines in primâ Nave, & ſeptuaginta in alterâ, ſex ad ſummum hebdomadarum ſpatio, corripuerit.

Huic obſervationi facta quædam addemus, excerpta è diario D. Hyves, quæ paritèr noſtram de Scorbuti causâ fulciunt opinionem. Navis quâ vehebatur Chirurgus, in *Gaditano* manſit freto, menſe Novembris anni 1743. Per totum ferè hujûſce menſis tenorem, maximè humidum fuit tempus, frigidum & procelloſum: plurimæ tùnc, ſed leves occurrerunt ægritudines: circà verò menſis decurſum, Nautas Scorbutus infeſtavit, etiàmſi propè Terram *(n)* ſtetiſſent ad anchoras; vigintique duo ægrotantes ad Noſocomium fuerunt delati.

Menſis Januarius anni ſequentis, algidiſſimus fuit & procelloſus, necnon penè continuò ceciderunt imbres: idcircò variis inclementiis & crebris atmoſphæræ mutationibus, multùm laborârunt Claſſiarii: verùm octavâ menſis die, è freto diſcedentes, quotidiè magìs ac magìs Scorbutus increſcebat; ità ut decimâ die, quinquaginta numerarentur Scorbutici, & vigeſimâ, ad nonaginta uſquè numerus augeretur. Horum plurimorum res in peſſimo verſabantur; rigiditas enìm & contractura eorum occupabant artus; crura habebant ulceribus depaſta, gingivaſque putridas; dyſpnœâ laborabant: anhelitus & excrementa, teterrimum ſpargebant odorem &c.

(n) Hîc conſultè Clar. Lind errorem arguit illorum, qui Scorbutum Mari furentem oriri dixerunt, ex eo quòd Navigantes auram terreſtrem non hauriant. Ibi, inquit, cauſandi non erit locus, aërem terreſtrem, Claſſiariis Navis hujûſce tùnc non faviſſe; quandoquidèm in freto *Gaditano*, Naves ſtrictè circumdantur littoribus.

520

Menſe Octobris anni 1744, frequentiſſimè flaverunt venti, copioſiſſimæ deciderunt pluviæ, aërque prænubilus fuit, diebus quibuſdam exceptis, in quibus ſerenum nituit Cœlum, ventique ſedârunt : caloribus crebrò ſucceſſerunt frigora, prodiit ſeſe illicò Scorbutus, Nauticiſque deplorandam conſternationem injecit. Hîc autèm certò non erit cauſandum, penuriam recentium vegetabilium huic morbo anſam præbuiſſe; nàm, per totum qui præceſſerat menſem Auguſtum, anchoris infrænata remanſerat Navis in Portu *Olyſipponenſi*, ubi, referente D. HYVES, occaſione admotâ, oleribus annoniſque recentibus inſtaurabatur : quod tamèn non impediit quominùs, decimâ tertiâ menſis die, viginti quatuor Scorbutici in Terram fuerint delati. Poſtridiè verò, è freto receſſerunt *Herculeo*, & attactâ latitudine Inſulæ *Minoricæ*, viginti alii ad Noſocomium tranſlati fuere.

Supervacaneum prorsùs fore credimus, alia, ex hoc diario, excerpere exempla : iſta tantummodò ſeligenda voluimus, ut firmiùs ſtabiliatur illa noſtra ſententia. Verùm enìm verò, ſi hîc adhùc in animum revocentur circumſtantiæ, in quibus tyrannidem ſuam exercuit Scorbutus, & vaſtavit Claſſem Nobiliſſimi Architalaſſi ANSON; dilucidè videbitur, nullam aliam eſſe diri hujûſce morbi cauſam efficaciorem, quàm illam à nobis jàm aſſignatam; nempè aëris humiditatem, quâ, perſpiratio inſenſibilis cohibetur, aùt ſaltèm imminuitur. Et reverà, nil veracius eſt ſequentibus verbis Clar. ROUPPE : *Homines à Scorbuto immunes manſiſſe tamdiù, quamdiù evacuatio hæc ritè atquè liberè ſucceſſit, & ſimulàc, quâcumque de cauſâ, ſaluberrima illa evacuatio impedita aùt ſufflaminata fuit, ſtatìm in lucem prodiiſſe Scorbuti ſymptomata (i).*

(o) Nihil verius verbis Doct. PRINGLE, dùm dicit : » Si nous refle» chiſſons en effet, que le ſang qui ſe putréfie eſt à un dégré de chaleur » égal à celui du Corps humain, nous ſerons convaincu que la tranſ-

Pluribus id apprimè confirmatur exemplis, Nautæque reperiuntur, qui licèt in patriâ Scorbuto confliᶜtentur; hoc in ſtatu, Neptuno ſeſe committentes, ſenſim reficiuntur, perſpiratione reſtitutâ, cùm cingulos attingant auſtrales. Contrarius autèm planè oritur effectus, ſi ex calidis plagis, Maria trajiciant borealia. Hoc non raò contingere fidem faciunt obſervata, & haùd pluribus abhìnc annis, in Navibus aliquot *Batavorum* ex *Indiâ* in patriam redeuntibus, ille occurrit eventus, referente Doctore Rouppe, qui id ipſummet ſe vidiſſe teſtatur. Idem obſervatur, inquit, in Navibus, quæ quotannis versùs Inſulas *Sancti Euſtachii* atquè *Curaçao* velificant. In longis navigationibus, ubi ſeſe prodit Scorbutus, Præfecti, necnon ſecundarii etiàm qui tamèn iiſdem quibus cæteri Nautæ nutriuntur alimentis, ſed qui corpus ſiccum, mundum, denſiſque veſtibus obtectum ſervant; tardiùs ab illo corripiuntur, imò nonnunquàm omninò degunt immunes.

Nobis verò fortaſſis objiciet aliquis, quòd ſi Scorbutus oriretur à diutiùs cohibitâ perſpiratione inſenſibili, cui anſam potiſſimùm præbet aëris humiditas, Urbs *Venetiarum*, quæ in aquis condita, his undequaquè cingitur, huic morbo ſempèr ferè foret obnoxia; qui tamèn ibi rariſſimus obſervatur. Cui quidèm argumento, reſpondebimus cum Illuſtriſſimo Arbuthnot: quòd aër qui vocatur humidus, *Ille eſt, qui vaporibus propè telluris ſuperficiem inquinatur, aùt dùm illi ad ima potiùs, quàm in altum, feruntur; cùm enìm hi debitè cum aëre mixti ſunt, & plurimùm per atmoſphæram elevati, hæc magìs aquâ prægnans eſſe poteſt, licèt ſiccus*

» piration par les poumons & les pores de la peau n'eſt pas plutôt arrê-
» tée, ou même toute autre excrétion des parties les plus volatiles ou
» les plus putrides, que la corruption commence dans toute la maſſe
» du ſang; & ſi on ne la prévient pas à propos, elle occaſionne infail-
» liblement quelque maladie putride «. Voyez *Obſervat. ſur les Maladies des Armées*, *tom.* 2. *pag.* 297 & 298.

tùnc appelletur aër, noſtrorum corporum reſpectu: hìnc ſpectari hujûſmodi poteſt elementum, tanquàm abſorbens modò, modò verò contentam aquam præcipitans (p). Calidum idcircò *Venetiarum* clima, vaporum aquoſorum excelſitati favendo, ab incolarum corporibus, funeſtiſſimos illorum averruncat effectus.

CAPUT TERTIUM.

De Signis Scorbuti Diagnoſticis.

SIGNA Scorbuti prænuntia, ſunt, inſolita quædam ſegnities, à quocumque exercitii genere averſatio, ſedendi aùt decumbendi aſſidua cupiditas, in tenebroſis & ſolitariis locis plerumquè latitatio, ſollicitus triſtiſque vultus; colorem nativum facies amittit *(q)*; pallida fit, flava, terrulenta, aùt intumeſcit, præſertìm circà inferiores palpebras; quod potiſſimùm manè obſervatur, cùm è lectis ſurgunt ægrotantes. Virideſcunt carunculæ lacrymales, ſanguifera palleſcunt oculorum vaſa; hi ardore nativo non ampliùs emicant *(r)*: palleſcunt & quoquè labia, coloreque inficiuntur ſublivido. Torporem & defatigationem ſpontaneam in trunco & artubus perſentiunt ægri, cum genuum ſtupore & debilitate. In regione

(p) Vide *Specimen effectuum aëris in humano Corpore, latinè verſum à* FORTUNATO DE FELICI, *pag.* 109.

(q) Quanquàm faciei coloris mutatio, non ſempèr ſubſequentia præcedat ſymptomata: horum tamèn conſtantèr illa fit pediſſequa. Obſervavit enìm Doct. ROUPPE, quòd quibus in ſtatu ſano, coloratus adfuerat vultus, ipſis adhùc rubor quidam remaneret, ſed colore flavo ac lurido commiſtus.

(r) Clar. FERAPIE DUFIEU ſe obſervâſſe refert, in Noſocomio generali charitatis *Lugdunenſi*, quòd, in Scorbuto confirmato, ægrotantes nonnulli viſûs facultatem prorſùs amiſiſſent, immediatè cujûſvis diei poſt ſolis occaſum. Vide *Traité de Phyſiologie, tom. 2. pag.* 790.

epigaſtricâ quandoquè de moleſto ſenſu conqueruntur, ac ſempèr cruciantur dyſpnœâ, quæ vel leviſſimo de motu increſcit. Abdomen quodammodò tumidulum habent, & alvum plerumquè adſtrictam. Eorum cutis eſt admodùm ſicca, ſerpentina, vel anſerina *(s)*; in quibuſdam aſperrima, præſertìm ſi adſit Febris; quod raro accidit: aſt ſæpè ſæpiùs lucida apparet. Cibos & potulenta hactenùs utplurimùm appetunt Scorbutici, & ſat integrâ valetudine perfrui videntur.

Aſt brevì magìs ac magìs increſcunt ſymptomata: maculis pluribus ſubrubris aùt ſubcœruleis cutis deturpatur: initio in ambitu ſubflavæ, de die in diem, fuſciorem adipiſcuntur colorem, ac porrò purpureæ, & quandoquè etiàm nigerrimæ evadunt; quod fit potiſſimùm in ſecundo morbi ſtadio. Maculæ hæ variam obtinent latitudinem & figuram; aliæ enìm lenticulares, morsûs pulicum ad inſtar, aliæ palmares, aliæ ſubrotundæ, aliæ irregulares, cutis planitiem non ſuperantes: ſanguinem ſub epidermide à contuſione extravaſatum planè aſ-

---

(s) Hanc cutem anſerinam, primum eſſe Scorbuti pathognomonicum ſymptoma, ſtatuit Celeberrimus Rouppe, ut liquet ſequentibus verbis: » In Scorbuti initio apparent in cute tubercula parva, » proùt contingit, quandò pars corporis nuda aëri frigido exponitur: » notandum tamèn eſt, quòd epidermis hoc in caſu plus protuberet; » quòd id accidat in tectis quoquè partibus atquè calentibus; quòd » majora ſint tubercula atquè altiora, nequè in tantâ obſerventur copiâ, » quàm in quâdam ſani hominis parte frigori expoſitâ; quòd quædam » horum prægrandia ſint, ex largâ baſi in acumen deſinentia. In apicibus horum tuberculorum obſervatur flavum & quadantenùs rubens » punctum inſtar veſicæ. Elapſis autèm aliquot diebus, apices tuberculorum incipiunt rubeſcere, tùmque punctulum apparet meliùs. Tandèm » de die in diem increſcit color, obſcuriorque evadit; apex demùm tuberculi deprimitur, & ſenſim ſenſimque demiſſior fit, uſquè dùm » planeſcat in totum, atquè tùnc remanet macula purpurei coloris parva; » hoc plerumquè contingit in fine primi vel initio ſecundi ſtatûs «.

De eodem cutis aſpectu, in incipiente Scorbuto, mentionem facit Chirurgus Navigator anonymus, cap. 2. pag. 11. cujûſdam Operis cui titulus eſt: *Eſſai ſur les Maladies qui attaquent le plus communément les Gens de mer, &c.*

ſimilant. In tibiis, femoribus, circùm genua frequentiùs apparent; ſæpè in brachiis, volâ manuum, thorace, trunco; rariùs in facie & capite oriuntur: his aliquotiès etiàm ſat magnis lividis aut violaceis maculis partes genitales, ad ani margines uſquè, defœdantur *(t)*. Signa hæc, alterum ſubſequitur pathognomonicum, videlicèt gingivarum pruritus *(u)*, tumefactio, & à levi quovis attactu facilis cruentatio; quæ quidèm dùm inveteraſcit morbus, fiunt deìn molles, ſpongioſæ, putres & fungoſæ, tùncque fœtidiſſimè olet anhelitus.

In hâc primâ Scorbuti periodo, intumeſcunt nonnullorum crura; in aliis quandoquè ità attenuantur, ut nuda cutis deturpata, oſſibus affixa videatur. Hæc autèm initio circà malleolos ſerotinis horis, manè verò ferè omninò evaneſcens, obſervatur intumeſcentia. Verùm poſt breve temporis ſpatium, ſensìm ad vicinas ſerpit partes, cruraque fiunt prorsùs œdematodea, cum iſto tamèn diſcrimine apùd nonnullos ægrotantes; quòd non cedat tumor digito prementi, hocque remoto, diutiùs ſervetur impreſſio, quàm in œdemate vero. Pulſus incipiente morbo, vìx à naturali recedit, aùt ſi quædam adſit differentia, naturali aliquantulùm tardior eſt ac durior. Scorbuto correpti, in iſto morbi ſtadio æquè ac in progreſſu, ſpaſmis doloribuſque atrociſſimis, rheumatiſmorum more, plùs minùſve ſævientibus cruciantur, qui apùd omnes, non eaſdem affligunt partes; ſed nùnc ex aliâ in aliam tranſeunt, variaſque æmulantur ægritudines, putà pleuritidem ſpuriam, dolorem iſchiaticum; undè etiàm nomine arthritidis vagæ, à quibuſdam indigitantur.

Notatu digniſſimum eſt, quòd, morbi quilibet præ-

(t) Vide Petit, *Traité des Maladies des Os*, *tom.* 2. *pag.* 341.

(u) Hic pruritus quandoquè fit adeò moleſtus, ut dùm Scorbutus olìm diriſſimum in modum *Pariſiis* ſæviebat, Celeb. Poupart obſervaverit, Infantes, unguibus prurientes laceràſſe gingivas, illaſque membratìm avulſiſſe. Vide *Mémoires de l'Acad. Royale des Sciences de Paris*, *ann.* 1699. *pag.* 169.

greſſi, aliquotiès tùnc, imò ſæviùs non raró recrudeſcant, rheumatici potiſſimùm dolores, aùt hi qui contuſioni, ictibus, vulneri ſuperſtites fuerant; quòdque morbus quicumque præſens quo conflictantur ægri, malignioren ſempèr adipiſcatur indolem, ratione ejus cum Scorbuto complicationis. Porrò Scorbutici multos ad Venerem habent ſtimulos, ſi Kleinio *(x)* ſit fides.

In ſecundo morbi ſtadio, prætèr jamjàm enumerata ſymptomata, moleſtiſſimus obſervatur ptyaliſmus *(y)*, qui tamèn conſtantèr non omnes invadit ægrotantes. Dantur etenìm, qui nullam ferè ſalivam excernunt, etiàmſi diriſſimum in modum os afficiatur; dùm alii è contrà, licèt mediocritèr affecti, tantâ ſalivæ excretione laborant, ut duas pintas, intrà viginti quatuor horas exſpuant. Alterum tùnc quod frequentiſſimum occurrit ſymptoma, eſt tendinum flexorum tibiæ versùs femora retractio, ità ut brevi tempore extendi non poſſit membrum hocce; quinimò ſensìm ſensìmque, talus versùs nates trahatur; quod ſenibus & ſicciori temperamento donatis potiſſimùm evenit *(z)*. Crampi admodùm dolorifici ægros ſæpiſſimè excruciant. Intumeſcunt

(x) Interpres Clinicus, pag. 264.

(y) Vidit Illuſt. Rouppe quòd phlegmatici, qui naturalitèr magni ſunt ſputatores, tùm & tabaci maſticatores & fumatores, copioſiori tùnc potiſſimùm afficiantur ptyaliſmo; qui ſi ſemèl occurrat, ad morbi terminum uſquè protenditur. Notavit quoquè quòd eorum dentes citiùs decidant, & putrefactio gingivarum citiùs multò ſubſequatur, quàm in aliis qui hâc herbâ minùs uſi ſunt.

(z) Dùm vigebat Scorbutus *Auguſtæ Vindelicorum*, poſt hujûs urbis expugnationem à Rege *Suedorum*, anno 1634, obſervavit Doctiſſimus Hoechsteterus [æquè ac Clar. Rouppe, in ſuis nauticis itineribus], quòd tendines muſculorum, ac nervi crurum ſurſùm adeò traherentur, illis, qui naturæ ſiccioris erant, ut flecti non poſſent: illa retractio, inquit, acutiſſimo dolore ſtipabatur. Quidam in lecto cubantes, facultate gaudebant ſeſe volvendi, ſed non flectendi crura: in aliis talis erat tibiarum debilitas, ut iiſdemmet ſiſtere nequirent, etiàmſi lecto decumbentes, varios exercerent corporis motus: plurimi circà finem hyemis periere. Vide *Obſ. Med. decad.* 6. *caſ.* 10. *pag.* 162.

genua, pruriunt, immanitèr dolent, peritque non rarò motus partium harumce. Accedunt frequentes pectoris anguſtiæ, necnon à minimo quovis motu, lipothymiæ, ſyncopes. Hæc recenſentur ſymptomata, tanquàm conſtantiùs eſſentialia huic Scorbuti periodo. Porrò crurum intumeſcentia quandoquè portentoſa videtur, & unicâ aùt pluribus ſæpè ſeſe tangentibus, ad ecchymoſeos inſtar, deturpantur maculis. In variis aliquotiès illorumce partibus, diſſeminati tumores duri maximèque dolorifici, obſervantur. Adfuerunt quoquè ex Auctoribus caſus nonnulli, in quibus femora crurumque pars muſculoſior penitùs erant indurata, abſquè ullâ quâvis intumeſcentiâ; & alii in quibus lignæam penè duritiem æmulabantur, priſtinâ propemodùm remanente formâ.

Scorbutici in iſto morbi ſtadio, copioſis & quandoquè lethalibus hæmorrhagiis *(a)*, è variis corporis partibus erumpentibus, putà naribus *(b)*, gingivis, pulmonibus, inteſtinis, utero &c, præcipuè obnoxii ſunt. Contuſiones, excoriationes, & vel leviſſima vulnera, in ulcera mali moris, degenerant; præſertìm in cruribus, ubi ſi cutis unguibus ſolummodò ſcalpatur, annoſa plerumquè ſubſequuntur ulcera *(c)*. Plurimi tùnc

(*a*) Legere datur in Hiſtoriâ itineris Nob. ANSON per orbis ambitum, ſanguinem erupiſſe ex Nautarum quorumdam Scorbuticorum vulneribus, cicatrice per multos annos obductis. *Voyage autour du monde, liv.* 1. *pag.* 84. *édit. in* 4°.

(*b*) In Viro quodam Scorbutico, hæmorrhagiâ narium per intervalla laborante, obſervavit MICHAEL DORINGIUS, quòd, linteamina quibus ſanguis exceptus fuerat, ab eo corroſa fuiſſent. Vide SENNERT. *de Pathologiâ, tom.* 1. *cap.* 13. *pag.* 243.

Serum è naribus Scorbuticorum diffluens, adeò corroſivum vidit DECKERUS, ut lintea intincta paritèr eroſerit. Vide KLEIN, *Interpres Clinic. pag.* 269.

(*c*) Ulcera ſcorbuticà ſignis ſequentibus pathognomonicis ſtipantur: pro rectè digeſto pure, materiam ichoroſam, tenuem, fœtidam & ſanguinolentam effundunt. Verùm in poſterum materies hæc planè aſſimilat ſanguinem corruptum, coagulatum; ulcerumque ſuperficiei ità adhæreſcit, ut non niſi ſummâ difficultate poſſit abſtergi. Carnes ſub hanc

corripiuntur ægri diarrhœâ, aùt dyſenteriâ, cum doloribus acutiſſimis; undè ad extremam deducuntur virium proſtrationem. Dantur alii qui per alvum dejiciunt ingentem meri ſanguinis copiam, abſquè ullâ diarrhœâ & torminibus. Univerſis & mordacibus oſteocopis doloribus alii conqueruntur, circà lumbos potiſſimùm, articulationes & crura, ubì tumidæ ſunt hæ partes, atrociſſimè ſævientibus: frequentiùs verò in diverſis thoracis partibus ſedem tenent dolores Scorbutici, nùnc fixi, nùnc erratici, à leviſſimo corporis motu recrudeſcentes aùt exacerbantes, hi præſertìm qui dorſum occupant. Modò vigent pectoris conſtrictio, dyſpnœa, tuſſis convulſiva &c. Tandèm maximoperè afficiuntur gingivæ, potè quòd fungoſæ, putres & dolentes evadant, fœtidiſſimumque ſpargant odorem: levitèr contrectatæ, ſanguinem fundunt ſeroſum, altè exulcerantur; imò nigreſcunt; aliquotiès jàm omninò gangrænâ correptæ *(d)*. Dentes denudantur, ſæpè nigricant, in ſuis

---

cruſtæ ſpeciem hærentes, molles ſunt, fungoſæ & putridiſſimæ. Hîc nullatenùs conferunt abſtergentia & eſcharotica; quanquàm enìm multo labore & operâ hæ deglutinatæ fuerint & ſublatæ, attamèn brevì denuò renaſcuntur, cum eodem aſpectu putredinis & ſanguinolentiæ. Livent plerumquè ulcerum horumce margines, & à carnibus fungoſis ſub cutis ſuperficie luxuriantibus, tumefactæ deprehenduntur. Si major adhibeatur compreſſio, carnium fungoſarum accretioni obſtandi cauſâ, pertimeſcendum eſt tùnc, ne ad gangrænam vergant ulcera; utì ſæpiſſimè evenit: aſt pars ſempèr fit œdematoſa, dolorifica & penitùs ferè maculis defœdata. Proùt increſcit Scorbutus, ex ulcerum fundo progerminat, exſurgit fungus mollis, ſanguinolentus, jecori bovillo cocto haùd abſimilis; noctis uniûs ſpatio, portentoſum perſæpè excipiens incrementum. Cauterii actualis potentialiſve aùt ſcalpri viâ incaſsùm deſtruitur, eâdemque non multò poſt quàm anteà magnitudine apparet. Si ſcalpello reſecatur, copioſa, quæque vìx compeſci poteſt, ſæpè ſæpiùs erumpit hæmorrhagia. Tandèm ulcera illa ſcorbutica talem hunc ſervant ſtatum, per ſat longum temporis ſpatium, priuſquàm labe inficiantur oſſa. Vide Lind, *tom.* 1. *pag.* 204.

(*d*) Dùm *Rigæ* Principis urbium *Livoniæ*, Scorbutus atrociſſimas edebat ſtrages, anno 1751, Clar. Chirurgus Cook teſtis fuit oculatus horrendi admodùm ſpectaculi. Ægrorum gingivæ necnon labia gangrænâ tentata, fruſtatìm excidebant; genas & inferioris maxillæ muſculos de-

vacillant alveolis, dolent & quandoquè ſpontè decidunt, aùt faciliùs eximuntur *(e)*; necnon aliquandò carie inficiuntur oſſa maxillaria *(f)*.

Circà hujûs periodi finem, vulnera prægreſſa, etſi firmâ cicatrice fuerint agglutinata, nonnunquàm iterùm reſerantur; undè contumaciora progignuntur ulcera. Veteres oſſium fracturæ, quanquàm firmitèr olìm conſolidatæ fuerint, denuò itidèm franguntur, eâdem parte quâ fuerant callo obductæ *(g)*; & niſi perfectè ſanato morbo, non ampliùs coaleſcunt. Tanta eſt oſſium quorumdam fragilitas, ut minimâ de causâ, quaſi ſpon-

---

paſcebatur ſphacelus : imò quandoquè, muſculis eroſis, pendulum os maxillare in ſternum delabebatur. Siſtendæ mortificationis cauſâ, incaſsùm adhibitus fuit *Peruvianus* cortex; vitam enìm cum morte, neceſſariò & citiſſimè commutabant miſerrimi ægrotantes. Vide *idem*, *pag.* 467.

(*e*) Celeb. Lemery *Pariſiis* novit quemdam *Perſam Suſoris* natum, graviſſimo Scorbuto correptum, qui manu ſeptem ſuos octove dentes facilè evellebat, & in alveolos poſteà reponebat. *Mémoires de l'Acad. Royale des Sciences de Paris*, *ann.* 1712.

(*f*) Animadvertit Illuſt. Lind, cariem ſcorbuticam non occurrere, niſi in quantum deſtruitur exterior oſſis lamella; ità ut corroſivus humor in ſinubus quibuſpiam ſtagnans, cellularem ſubſtantiam penetrare poſſit : undè tùnc celeritèr corrumpitur os, & carie afficitur. Quod verò ſi ſecùs accidat, diù perſiſtunt ulcera in tibiarum ſpinis, aliiſque partibus, abſquè quòd ulla ſubſequatur oſſium corruptio. Nihilò tamèn minùs excipiendus, inquit, caſus alter ſat raro occurrens, nimirùm cùm Scorbutus ad tantum malignitatis gradum provehitur, & tàm arctè & mordacitèr oſſa occupat, ut indè horum ſubſtantia cellularis corrumpatur. Doloribus acutiſſimis plerumquè concomitatur caries hæc; oſſium laminæ aliæ ex aliis continuò divelluntur, & procreatur exoſtoſis : peſſimi tùnc generis ſpina ventoſa ſupervenit, cujûs pediſſequa ſunt acerbiſſima, & citiſſimo admodùm greſſu progerminantia ulcera.

In Opere ſupradicti Auctoris, cariem ab ulcere ortam ſe nunquàm obſervâſſe refert D. Murray, niſi cùm ad maligniorem gradum provectus eſſet Scorbutus, & cum febre complicaretur.

Obſervavit Clar. Petit, cariem multò frequentiùs accidere Scorbuticis, quàm exoſtoſis. *Traité des Maladies des Os*, *tom.* 2. *pag.* 282.

(*g*) Refertur in Hiſtoriâ Architalaſſi Anson, oſſa cujûſdam veteris Militis, in Nave *le Centurion*, quæ probè occaluerant à quinquaginta annis, iterùm præ morbi vehementiâ diſſoluta fuiſſe. *liv.* 1. *chap.* 10. *pag.* 84. *édit. in* 4°.

tè tranſverſim diſſiliant *(h)*. Articulationes olìm luxatæ aùt diſtortæ, etiàmſi debito modo fuerint reſtitutæ, ſæpè ſæpiùs tument & indureſcunt; plerumquè etiàm intumeſcunt genua, & atrociſſimos indè pariunt cruciatus; tactu percipitur aliquandò fluctuans materies quædam; intrà vel ſuprà capſulam articularem collecta. Si rotetur tùnc, quæ ſæpè ob tumorem non percipitur, rotula; talis auditur ſtrepitus, qualis edi ſolet, dùm moventur & ſeſe mutuò tangunt oſſa fracta: qui itidèm ſat validus aliquotiès auditur ſtrepitus, cùm intèr incedendum crura moveant ægrotantes. Evenit etiàm non raró in hoc morbi gradu, ut Scorbutici, alii intèr ambulandum aùt edendum, ſubitaneâ & improvisâ morte occumbant; dùm alii in lecto vel ſtratis, ad minimum motum animam efflant *(i)*. Plerique attamèn ſanum ac interdùm voracem ſervant appetitum, omniumque ſenſuum exercitio pollent, quanquàm maximè debilitati & ſalutem imò deſperantes deprehendantur. Triſtes ſunt & meticuloſi, atquè leviſſimâ de causâ terrore percelluntur. Nonnulli dantur qui, cùm in lecto tranquillè jacent, nullam doloris ſenſationem percipiunt, niſi dyſenteriâ importunove ptyaliſmo vexentur. Tandèm pulſus adeſt plerumquè parvus, inæqualis & tardior; cutis verò ſummâ ariditate ſtipatur.

In ultimâ Scorbuti periodo, omnia jamjàm recenſita ſymptomata, adeò fiunt urgentia, tantamque adipiſcuntur gravitatem & intenſionem, ut vìx ac ne vìx ulla ſuperſit ſpes ſanationis. Hæc autèm maximè anomala, horrenda, teterrimaque tùnc obſervari, non mi-

---

(*h*) Vide Schenck, *lib.* 5. *obſ.* 8. Fabrit. Hildan. *cent.* 2. *obſ.* 68.

(*i*) Hic crebriſſimè occurrebat caſus in Claſſe Nob. Anson. Vide ejus hiſtoriam, *liv.* 1. *chap.* 10. *pag.* 84. Idem accidit eventus Claſſiariis *Ruſſicis*, dùm anno 1741, poſt longas & tædioſas in fluctibus Oceani Glacialis aberrationes, undè in Scorbutum inciderunt; ægrotantes in ripam deferrent. Vide *Voyages & découvertes faites par les Ruſſes le long des côtes de la Mer Glaciale*, *tom.* 1. *pag* 291.

rabitur, quiſquis accuratè attendet ad corporis ſtatum, in hoc morbi ſtadio; & quantoperè diatheſi purulentâ, tota ſanguinis & humorum maſſa, necnon cuncta viſcera inquinentur. Prætèr enìm antiquarum cicatricum hiatus, crepat non raró tibiarum cutis, in partibus præcipuè, ubi anteà tumores molles, dolorifici, ac lividi apparuerant: in ulcera fungoſa, ſanguinolenta, gangrænamque facillimè contrahentia, hæ rimæ degenerant. In juncturis quandoquè, coſtarum potiſſimùm cum oſſe ſterno & dorſalibus vertebris, dùm ægri ſpiritum trahunt, oſſium auditur crepitatio (*l*). Intolerabilis ex ore ſpargitur fœtor: lectis affixi miſerrimi ægrotantes, à vel minimo quovis motu, imò renovato tantùm aëre, cordis palpitatione, orthopnœâ, frequenti ſyncope corripiuntur; ſæpiſſimèque ſubitaneâ morte occubuiſſe, teſtantur fide digniſſima obſervatorum monumenta.

Obſervantur quandoquè in hoc ultimo morbi ſtadio, quanquàm rariſſimè, Febres putridæ, colliquativæ petechiis, ſudoribus fœtidis, aliiſque putredinis ſymptomatibus ſtipatæ. Aſt ſæpè ſæpiùs è medio tolluntur Scorbutici,

---

(*l*) Illud obſervavere phœnomenon Clar. POUPART. Vide *Mémoires de l'Académie Royale des Sciences de Paris*, *ann.* 1699. *pag.* 170. TIMOTHÆUS ULRICUS Medicus *Magdeburgenſis*, apùd SENNERTUM, *Pract. lib.* 3. *part.* 5. *ſect.* 2. *tom.* 4. *pag.* 515.

Doct. WILLIS nonnullos paritèr vidit Scorbuticos, in quibus » quotiès membrum quodvis ullo modo flecterent, oſſium capita quaſi nuda » eſſent, intèr ſe attrita, ſtrepitum ingentem edebant; porrò cùm lecto » decumberent, ibidèmque è latere in latus ſe devolverent, è vertebra» rum colliſione, tanquàm à ſceleto aſperiùs tractato, crepitus ingens, » vel ipſos affectos perterrefaciens exaudiebatur. Vide Medici hujûs *Opera omnia*, *Tract. de Scorb. cap.* 19. *tom.* 1. *pag.* 621.

NICOL. PECHLINUS mentionem quoquè facit de Viro quodam Scorbutico, cujûs articuli dabant » ſonoros ad motum atquè extenſionem » fragores, ità ut etiàm exaudiri poſſent à vicinis «. Vide MANGET, *Biblioth. Medico-Pract. lib.* 16. *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 45.

Eumdem ſtridorem & crepitationem in genuum articulatione, audivit Doctor ROUPPE, *de Morbis Navigantium*, *pag.* 155.

copioſiſſimis ſanguinis valdè corrupti hæmorrhagiis, tùm è pulmonibus, ventriculo, naribus, vaſis hæmorrhoïdalibus, utero, renibus, tùm è variis cutis partibus; nullo utplurimùm apparente vulnere *(m)*. Viſcera thoracica & abdominalia, graviſſimo obſtructionis & putredinis gradu, frequentèr labefactantur: undè phthiſis, hydrops, icterus, hypochondriaſis; abſoluta animi & virium proſtratio, contracturæ nervorum intolerabiles, ſuboriuntur. Ab eâdem viſcerum labe, occurrunt quoquè ſummi colici dolores, umbilici & ani rectractio *(n)*, atquè pertinax alvi conſtipatio. In cute quæ fit glabra & aſperrima, ſæpè mador quidam frigidus obſervatur, præſertìm ſi ſyncopi ægrotantes ſint obnoxii.

In hâc tertiâ Scorbuti periodo, pulſus adeſt plerumquè languidior & parvus, deìn fit inæqualis ac intermittens, dùm quieti jacent ægri; levitèr enìm moto corpore, celer percipitur & inæqualis. Si lento greſſu procedat mors, in trunco & capite vitâ adhucdùm vigente, frigiditate lethali occupantur extremitates, & nullus omninò in his perſentitur pulſus. Verùm contractiones cordis ſensìm ac ſensìm fiunt debiliores; tandèm circulatio langueſcit, & placidè diem ſuum obeunt ægri; ad ultimum uſquè vitæ, ſuperſtite ſenſuum omnium integritate.

Hæc præcipua ac potiſſima ſunt Scorbuti ſymptomata. Notandum eſt intereà quòd, omnibus ægris, non omnia

---

(*m*) In hoc morbo, copioſiores hæmorrhagias ex labiis & linguâ vidit Celeb. WAN-SWIETEN, licèt deterſis his partibus, ne vel minimam viam undè ſanguis effluebat, diſtinguere potuerit. *Comment. in Aphoriſm. tom.* 3. *pag.* 608. Idem obſervavit DORINGIUS apùd SENNERT., *Pract. lib.* 3. *tom.* 4. *pag.* 521. In crure cujûſdam prægnantis ſcorbuticæ vidit FORESTUS varices, quæ ſpontè eroſæ & apertæ, duas ſanguinis libras & ultrà diffuderunt. *Opera omnia, lib.* 20. *obſ.* 11. *pag.* 292.

(*n*) Clariſſimus DE BORDEU, hæc duo phœnomena meritò tribuit, elevationi ſursùm diaphragmatis cum hepate, cujûs ligamenta umbilicum intrò trahunt: & quoniàm colon, eâdem etiàm de cauſâ, ad ſuperiora vergit, hìnc anus intropellitur. *Diſſert. de Aquit. Mineral. Aquis. pag.* 62.

ſempèr occurrant : diſcriminis enim aliquantulum obſervatur, ratione temperamenti & naturæ ægrotantium ; dùm alii præ cæteris plùs minùſve confli&entur : hi, per totum morbi decurſum, conſtantèr alvum deponunt ; illi è contrà, pertinaciſſimâ conſtipatione vexantur. Aſt fœtidiſſimo alvi profluvio, generatìm corripiuntur identidèm Scorbutici. Idem etiàm planè tenendum de urinâ, quæ juxtà diverſas circumſtantias, varia excernitur ; ſed utplurimùm colorata admodùm deprehenditur ; citiſſimè putreſcit, & ſi aliquantiſpèr in vaſe conquieſcat, oleoſa plerumquè ac ſalina ſupernè innatans apparet ſpuma. Pulſus itidèm, ratione circumſtantiarum arteriæ quæ exploratur, temperamenti ægrotantium, ſexûs, ingeſtorum & diverſæ Scorbuti periodi, maximis ſubjicitur anomaliis. Verùm enìm verò conſtanti obſervatione, in genere compertum habuere Celebriores Practici, quòd, rariſſimè Febris Scorbuticos invadat.

Cùm in iſtâ teterrimorum Scorbuti ſymptomatum enumeratione, plurima, multam cum lue vereneâ habeant affinitatem, & in confeſsò habeant Clinici, ſæpè difficillimum eſſe hos duos morbos à ſe invicèm ritè diſcernere ; undè graviſſimum in praxi ægrotantibus redundaret damnum : hìç exponere lubet, in quo differant ; ut omnis confuſio ac peſſimus error vitetur. 1°. Si os inſpiciatur, variè affectum in utroque morbo deprehendetur : dentes ſiquidèm & gingivas inficit præcipuè Scorbutus, dùm è contrà lues venera tonſillas, uvulam, velum & oſſa palati æquè ac narium, exulcerat & erodit ; prænuntiaque ferè ſempèr habet bubones, puſtulas, cancros, gonorrhœam, aliaque, partes quæ primitùs virus contraxerunt, infeſtantia vitia. 2°. Vagantur Scorbutici dolores, & oſſibus minùs ſunt inhærentes, quàm venerei. 3°. In Scorbuto, plùs minùſve afficitur abdomen ; in ſyphilide verò, caput præprimìs & extremitates corripiuntur. 4°. Ulcera Scorbutica venereis ſunt humidiora. 5°. Demùm prægreſſarum conſideratio cauſarum, aùt ægrotantium ipſa con-

feſſio, utrùm videlicèt in caſtris Veneris militarint, necnè, omne dubium ſolvere poſſunt.

Cùm infantes nonnunquàm infeſtet Scorbutus, tradere veniunt ſigna, à quibus ritè deduci poſſit morbi hujûſce diagnoſis. Parumpèr diſcrepant apùd infantulos Scorbuti ſymptomata, ab illis quæ in adultis occurrunt. Cutis ſiquidèm maculæ, affectioque gingivarum, rarò apparent initio morbi: obſervantur duntaxàt, cùm magnum adeptus fuit gradum. Cognoſcitur infantem Scorbuto corripi, quandò de doloribus muſculos cruciantibus conqueritur; ſedere aut decumbere amans, tibiis corpus perſæpè ſuſtinere nequit. Exercitia quæcumque & nugas averſatur; luget & clamores edit, ſi rectus aſſiſtere cogatur, vel ſi pars crurum muſculoſior digitis prematur. Aliàs cùm jàm certo pede humum ſignare cœpit, ob tibiarum ſtuporem & debilitatem, labitur; abſquè quòd ulla alia evidens occurrat cauſa. Exhantematum loco, quæ in adultorum cute efflorescunt, parvæ quædam duritiæ ganglia aſſimilantes, ubiquè diſperſæ tactu percipiuntur *(o)*. Prætermodùm inflatur ſtomachus, dùm aſſumpta digeruntur alimenta; ſomnus doloribus erraticis interturbatur; venter torminibus ſæpiùs angitur. Verùm omnia ferè hæc memorata, chronicis morbis communia, Scorbuti latentis ſuſpicionem tantùm inferunt; donèc gingivarum labes macularumque eruptio, ſigna fiant morbi characteriſtica.

(o) Vide Puzos, *Traité des Accouchemens*, *chap.* 6. *pag.* 300.

CAPUT QUARTUM.

De Scorbuti Prognoſi.

Cum in his, major ſit ad Scorbutum proclivitas, in aliis verò diuturnior reſiſtentia, pendens à naturâ ac conſtitutione cujûſvis individui; conſiderari poteſt hic morbus, tanquàm conſtitutionalis aùt accidentalis. Vocabitur ſiquidèm accidentalis, apùd pleroſque Milites, Navigantes & alios, qui anteà rectè conſtituti, ſed externis evidentibus cauſis jàm ſuprà relatis expoſiti, Mari aùt Terrâ, illo corripiuntur. Conſtitutionalis è contrà dicitur in illis, qui ratione aptitudinis cujûſdam corporis, aùt idioſyncraſiâ, levibus de cauſis, ad hanc ægritudinem proniores ſunt. Attamèn quocumque modo contrahatur, idem eſt morbus, eamdemque requirit therapeiam; conſideratione nihilominùs habitâ, ad cujûſvis individui temperamentum & vires: quod enìm alios juvat, aliis quandoquè parùm prodeſt, vel etiàm nocet.

Scorbutus eſt chronicus affectus, qui nec ſubitò ægrotantes invadit, nec eos ſubitò deſerit; ſed qui ſæpè ſæpiùs pedetentìm procedens, pro mitigatione & curatione, tempore non brevi exactâque ratione victûs, indiget. Si mente perpendantur omnia, quæ de illiûs ætiologiâ hactenùs dicta fuere, ſequentia concludere licet.

Valetudinarii, debiles & qui laxâ compage donantur, (id eſt, in quibus laxa ineſt diſpoſitio lamellarum textûs cellularis, juxtà veriſimillimam opinionem Illuſtriſſ. de Bordeu *(p)*, qui muſcularibus fibris naturam & conſtitutionem fixam & immutabilem tribuit); ad

(p) Vide *Recherches ſur le tiſſu muqueux*, §. 42. *pag.* 30.

Scorbutum

Scorbutum contrahendum diſpoſitionem habent proximam ; & primi afficientur , ubì cauſæ producentes unà cum temperamenti indole , conſpirabunt. Tales ſunt v. g. nonnullæ Mulieres delicatulæ , luxurioſè vel opiparè viventes , in quibus D. HENRICUS FOUQUET Practicus hujûs urbis feliciſſimus obſervavit , à cutis preſſione vel leviſſimâ , latas & ſat pertinaces ecchymoſes eſfloreſcere. Idem ipſis contingit , quantulumcumquè extremis digitis cutis vellicetur ; imò & apùd quaſdam , vidit hanc ipſam , puncticulis purpuraſcentibus aùt violaceis paſſim deturpari. Mulieres iſtæ vulgò dictæ vaporoſæ ſeù nervoſæ , textum gingivarum habent laxiſſimum , mollem , ac ſublividum : quinetiàm totiûs corporis textum mucoſum , ut jàm diximus. Alvum prædictæ Fœminæ , plerumquè habent adſtrictam ; ventriculum , tempore digeſtionis quæ laborioſa eſt , flatus obſident ; ſenſuſque moleſtus regionem epigaſtricam non rarò occupat. Fluxus uterinos vel hæmorrhagias quandoquè copioſiores , patiuntur. Parca admodùm , vel nulla apùd illas perſpiratio ; pulſus obſervatur concentratus , inæqualis , aliquandò & etiàm vibratilis , ut & languoris aùt inertiæ charactere quodam ſtipatus , qui vìx quidèm verbis effingi poteſt ; ſed cujûs idæam adumbratam habemus in rythmo pulsûs *Abdominalis* ſeù *Inteſtinalis* , tradito à Clariſſimis THEOPHILO DE BORDEU *(q)* & HENRICO FOUQUET *(r)*. Exercitatio vel minima, his Fœminis laſſitudinem , ſummamque defatigationem inducit ; imò & ulteriùs protractâ, metus eſſet ne ſuggillationibus obruerentur viſcera , quales à Celeberrimis BAILLOU & SYDENHAM obſervatæ ; quas etiàm apùd equos curſu violento extinctos , non ſemèl vidit ſuprà laudatus Doctor FOUQUET *(s)*.

(q) *Recherches ſur le Pouls par rapport aux criſes, tom.* 1. *chap.* 9. *pag.* 74
(r) *Eſſai ſur le Pouls , chap.* 15. *pag.* 83.
(s) Talia phœnomena ritè penſitans celebris ille Medicus , primariam

Scorbuto procliviores paritèr reputantur, qui, morbis prægreſſis, Febribus ſcilicèt intermittentibus, aliiſque chronicis ægritudinibus debilitati; æquè ac copioſis exhauſti evacuationibus, quæ per alvum, hæmorrhoïdes, uterum, nares, & in puerperis per lochia contingunt; aùt hi quibus poſt diuturnas Febres intermittentes autumnales, viſcerum adeſt obſtructio: (de hoc plurima referunt exempla quidam Auctores, ſed præcipuè Forestus (t)). Vice versâ, naturalis & neceſſariæ cujûſpiam excretionis ſuppreſſio, ad Scorbuticam corruptionem anſam præbet largiſſimam: talis eſt apùd Fœminas catameniorum fluxûs cohibitio, præprimìs ſi hæc à triſtitiâ & mœrore pendeat; idem planè evenit cùm naturalitèr deficiunt menſes. Obnoxiæ ſunt, ex obſervatione Reusneri, Scorbuticæ Mulieres ad fluorem album, & ad menſes decoloratas; tùm & in his periculoſior admodùm habenda eſt uteri hæmorrhagia.

---

horumce cauſam tribuit, ſuſcèptæ cuidam in partibus nerveis vibratilitati, vel nimìs evecto earum tono; cui anſam præbent potiſſimùm frequentes ſpaſmi, qui regionem epigaſtricam primariò ferientes, exindè antagoniſmum intèr partes externas [carneas ſcilicèt habitûs corporis, & cutim] & partes internas [viſcera præſertìm epigaſtrica] ſtabilitum, ſensìm evertunt. Neminem latet, inquit, ſenſibilitatem aùt præſtantem vitalis principii portionem, epigaſtrio peculiaritèr addictam, indefeſsè tùm moralibus, tùm phyſicis cauſis cieri, excitari; & quantam huicce regioni ineſſe ſenſibilitatem. Multiplici obſervatione paritèr evincitur, modo exiſtendi, ſeù tono regionis epigaſtricæ, velutì regi tonum, penè dicam vitalem habitum, nervoſi ſyſtematis; ità ut jure quodam cenſeat, quòd tales ſunt nervi in genere [ſaltèm quoàd ſenſibilitatis modum], qualis eſt ſtomachus, vel regio epigaſtrica. Porrò notum eſt ſyſtema nervoſum, frequentioribus ſpaſmis quibus torquetur iſtud, tandèm ad notabilem irritationis ac relaxationis combinationem perduci; parique paſſu relaxari textum cellularem ſeù mucoſum, quo proximè involvi nervos & omnes partes concatenari, Anatomiâ edocemur: undè in vaſorum extremis, necnon in quamplurimis textûs mucoſi portionibus, humorum ſtagnatio, ac ſubſequentèr horumce depravatio decompoſitioque, & in membranàm cellularem effuſio. Hùc recidit à veteribus methodicis adeò celebrata, *ſtricti & laxi* complicatio.

(t) *Opera omnia, lib.* 20. *de Scorb. malo cognoſc. pag.* 290. *uſquè ad pag.* 305. *edit. Francof.*

Animi pathemata hoc in morbo, maximi adhùc ſunt momenti. Qui etenìm jocosâ & hilari gaudent indole, rariùs Scorbuto corripiuntur, quàm mœrentes & melancholici; amœnæque mentis affectiones, ad curam accelerandam, multùm conferre poſſunt. Qui vi coacti trahuntur in Naves, ut jàm diximus, brevi multò temporis ſpatio, labe illâ percutiuntur; & ſi præfatæ cauſæ cum mœroribus ſimùl concurrant, in promptu plerumquè mors imminet.

Conditionum & victûs rationis diſcrimen, varios hîc quoquè producit effectus: qui enìm inertem aùt ſedentariam vitam degunt; qui loca inhabitant inferiora & humida; pauperiores, qui malè veſtiti & pravis nutriuntur alimentis, frequentiùs & citiùs Scorbuto infeſtantur, quàm qui vitam ducunt laborioſam, loca incolunt ſicciora, & meliori utuntur victu: Fœminæ Viris, urbani agricolis.

Climatum & tempeſtatum diverſitas, maximam paritèr morbo huicce varietatem infert: namquè perfrigidæ hyemes & humidæ, æquè ac fervidiſſimi calores, ejus ſempèr malignitatem adaugent, & curatu difficiliorem efficiunt. Si Mari procelloſum furiat tempus, continuæ decidant imbres, venti flent frigidiſſimi, morbus itidèm ingraveſcit. Si verò inertes fiant humiditatis cauſæ; & Terrâ, frigidis humidiſque cum hyeme avolantibus vaporibus, ſicca & ſubcalida ſuccedat temperies: tùm in utroque caſu, diræ illiûs ægritudinis mitigantur ſymptomata.

Mercurialium uſus, corpora, ad hunc ſuſcipiendum affectum, evidentiſſimè diſponit, ſi quibuſdam detur fides Auctoribus: docuit enìm experientia, inquiunt, quoſdam ſyphilide correptos, per frictiones aùt per alias intùs aſſumptas hydrargyri præparationes tractatos, graviſſimis indè Scorbuticis laborâſſe ſymptomatibus. Præterea memorat Celeberr. Doctor Huxham, quòd, qui remedio lithontryptico Dominæ Stephens,

538

per diutiſſimum temporis ſpatium uſi fuere, Scorbuticâ tandèm labe inficiantur (*u*). Clariſſimus CLERC plures quoquè vidit renum calculo laborantes, Scorbuticos factos & hydrope extinctos, poſt largiorem & diuturniorem uſum pilularum alkalino-ſaponacearum (*x*); quem effectum ſe nunquàm obſervâſſe contendit Doctiſſimus LIEUTAUD (*y*). Lubentèr tamèn crederem, quòd, copioſior fixorum volatiliumve alkalinorum ſalium uſus, humores in putridum liquamen convertere poſſet. Sic refert MATH. JACOBÆUS, textum ſanguinis alicujûs ex ſuis amicis, poſt uſum diuturnum ſalis volatilis oleoſi SYLVII, adeò fuiſſe attenuatum & diſſolutum, ut frequentiores & copioſiſſimæ ex naribus promanantes hæmorrhagiæ, cordiſque palpitationes, ægrotantem brevì ad mortem per ſyncopem deduxiſſent, niſi ſtatìm ad acida adſtringentia & opiatica remedia, integræ maſſæ ſanguineæ diſſolutionis præcavendæ causâ, confugiſſet (*z*).

Qui aliàs Scorbuto fuere conflictati, quamvìs ad priſtinam redierint ſanitatem, præ maximâ tamèn quam præ ſe ferunt diſpoſitione, majorem ad recidivam, cæteris paribus, habent proclivitatem, quàm alia individua, quæ nunquàm hanc ægritudinem paſſi ſunt. Obnoxiæ ſunt admodùm Scorbuticæ conſtitutiones, ſuſcipiendis omnibus epidemicis morbis, tùm & etiàm ſporadicis prævalentibus, qui cum Scorbuto ſimùl graſſantur. Quod aliquotiès accidit, cum fauſtis tamèn non rarò ægrotantium rebus, etiàmſi naturâ & indole Scorbuto ſat adversâ videantur. Si verò morbi prævalentes naturâ ſint putridâ; horum tùnc malignitas à Scorbuto coagmentata, exitioſiſſima producit ſymptomata.

(*u*) Vide *Lib. de Febribus, pag.* 40. *edit. prima.*
(*x*) *Hiſtoire natur. de l'homme malade, tom.* 2. *pag.* 274. *edit. in* 12.
(*y*) Vide *Medecine pratique, pag.* 369.
(*z*) Vide *Acta Haffnienſ. ann.* 1671 & 1672. *obſerv.* 113.

529

Nequaquàm habendus eſt Scorbutus tanquàm morbus contagioſus, ſicutì nonnulli immeritò aſſeruerunt Auctores *(a)*. Fuere & etiàm, qui, morbum hunc per amplexus venereos communicari poſſe, exiſtimârunt; dùm videlicèt rem habet Vir cum Muliere Scorbuticâ, albo fluxu laborante: quas meritò reprobant ſententias plerique neoterici obſervatores; multiplici enìm liquet experientiâ, quòd, contagio minimè propagetur Scorbutus. Refert ſiquidèm Illuſtriſſ. LIND, ſe vidiſſe *Gallum* quemdam captivum in Nave *Anglicâ* dictâ *le Saliſbury*, qui adeò diriſſimo conflictabatur Scorbuto, tantaque ipſiûs erat oris & gingivarum putredo, ut nihil unquàm ſimile ſe ipſum noviſſe fateatur: verùm etiàmſi ille Vir, per quindecim dies bibiſſet eodem in poculo, & eâdem in paropſide manducâſſet cum quinque ex ſuis ſociis, horum tamèn ne ullus quidèm vel minimo Scorbuti ſymptomate laboravit; iique in Portum cum integrâ ſanitate deſilierunt *(b)*. Obſervavit Celeb. WAN-SWIETEN, quòd, in locis ubi Scorbutus endemicè graſſatur, illos *qui inferiorem domûs partem incolunt, hoc morbo affligi; dùm interìm in ſuperiori parte domûs habitantes, & ſalubri victu utentes ab hoc morbo immu-*

(a) In hunc delapſi ſunt errorem SENNERTUS, *Practicæ lib.* 3. *tom.* 4. *part.* 5. *ſect.* 2. *cap.* 3. *pag.* 514. FORESTUS, *Opera omnia, lib.* 20. *obſ.* 12. *pag.* 304. DOLÆUS, *Encyclop. Med. Dogm. lib.* 3. *cap.* 12. POUPART, *Mém. de l'Academ. Roy. des Sciences de Paris, ann.* 1699. *pag.* 169. HOFFMAN, *Med. rational. ſyſtem. tom.* 4. §. 30. *pag.* 21. *edit. in* 4°. LUDOVICUS HANNEMAN, *Acta Haffnienſ. ann.* 1673. *obſ.* 112. HORSTIUS, *Tract. de Scorb.* WILLIS, *Opera omnia, Tract. de Scorb. cap.* 2. *pag.* 568. & 574. L. CHAMEAU, *Tract. de Scorbuto, edit. Lond.* 1683. BOERHAAVE, *Aphoriſ.* §. 1151. KLEIN, *Interp. Clinic. pag.* 264. MANGET, *Biblioth. Medico-Pract. lib.* 16. *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 59. WAN-ZESLT, *Lib. de Podagrâ & dol. col. Scorb. pag.* 100. LIEUTAUD, *Synopſis praxeos Med. part.* 1. *pag.* 66. *edit. Amſtel.* GEORGIUS FABRICIUS, apùd FREIND, *Hiſtoria Medicinæ, pag.* 332. D. MISSA, pag. 6. ſuæ Quæſt. Med. *An à diverſâ virûs ſcorb. indole & ſede, morbi diverſi? Propug. Pariſ. anno* 1754. Auctor anonym. Operis cui titul. *Eſſai ſur les maladies qui attaquent le plus communément les Gens de mer, chap.* 2. *pag.* 15.

(b) Vide *Traité du Scorbut, tom.* 1. *chap.* 4. *pag.* 105.

nes erant, *licèt quotidiè intèr Scorbuticos verſarentur (c).*

Novi ipſemet anno 1767, *Nannetenſem* quemdam, Præfectum Navis dictæ *le Port-au-Prince*, horrendo admodùm & putridiſſimo correptum Scorbuto, ex quo duobus aùt tribus menſibus poſt ejus in hunc Portum ex *Americâ* reditum, periit. Omnes ferè alii Præfecti, Chirurgus ac Nautæ in illiûs cubiculo, licèt anguſtiſſimo, (ubi indeſinentèr lecto jacuit, per totum ſat longæ navigationis tractum) quotidiè verſabantur, ut neceſſarias afferrent ſuppetias; abſquè quòd ullo Scorbuti ſymptomate affecti fuerint; quamvìs cubiculi aër contaminaretur, & intolerabilem fœtorem ſpargeret os ægrotantis. Poſt ejus ad *Nannetas* adventum, conjux & filioli, per totum morbi decurſum, propè lectum aſſiduiſſimè ſteterunt; amicorum plurimi ſæpiſſimè inviſerunt, oſculati fuere & cum illo ſat longa propè lectum habuerunt colloquia: nulla tamèn exindè his orta fuit ſanitatis labes. Quinimò Navigantes & plerique Cives illiûs urbis, nil timent à Scorbuto, pro contagioſo perperàm habito.

D. Barthe Chirurgus primarius legionis dictæ *Royal-Comtois*, mihi *Burdigalæ*, anno præterito, retulit: ſe multos vidiſſe Scorbuticos milites; verùm morbum hunc ex aliis in alios per contagium propagatum fuiſſe, nunquàm obſervavit, etiàmſi in iiſdem bibiſſent poculis ægrotantes & ſani.

Navigatores *Batavi*, qui ad *Indias Orientales* Itinera ſuſcipiunt, non exiſtimant morbum huncce contagioſum eſſe; quandoquidèm poſt adventum ad Promontorium *Bonæ Spei*, Scorbuticos cum aliis ægrotantibus ad Noſocomium deferunt *(d)*. Porrò mihi notum eſt, quòd innumeri ferè Navigantes, ne minimam quidèm ſuſpicionem de contagio Scorbuti habeant; & idcircò in Navibus hâc labe tentatos à ſociis non ſegregent.

(c) Comment. in Herm. Boerhaave, *Aph. tom.* 3. §. 1151. *pag.* 618.
(d) Vide *Idem*, *loco citato.*

Fatebimur equidèm quòd, nonnulli obſervaverint Auctores, plurimos eodem in loco, eâdem in æde, eodem in monaſterio reperiri Scorbuticos, ſicutì refert Sennertus. Verùm enìm verò id adſcribendum eſſe duntaxàt cenſemus, eo quòd ægrotantes hi, communi cauſarum actioni eodem in loco vigentium, fuerint expoſiti.

Quod verò Scorbuti hæreditatem ſpectat: minimè verum eſſe credimus, quòd à parentibus in prolem tranſmittatur; utì plures quoquè contenderunt. Certam tantummodò ad hunc ſuſcipiendum morbum diſpoſitionem, ſed veram nunquàm & ſignis ſtipatam evidentibus Scorbuticam labem, à natalibus mutuari poſſunt infantes.

Scorbutus qui infantes aggreditur, morbus eſt levis, modò ex incunabulis profligetur. Verùm ſi negligatur, vel tractetur ab imperito, qui hunc ab aliis ægritudinibus diſtinguere neſciat, funeſtiſſimos tùnc habere poteſt exitus. Mirandas etenìm aliquandò, in oſſeâ maxillæ ſubſtantiâ, producit exfoliationes *(e)*. Dati fuerunt & quoquè infantuli, qui, invito etiàm optimorum remediorum, ſed tardiùs exhibitorum uſu, maraſmo confecti perierunt.

Labes hæc in primo ſtadio apùd adultos, commodè tutòque ſanationem paritèr excipit. Febris initio ſuperveniens, morbum ſæpè tollit. Quanquàm maxima adſit gingivarum affectio, perfecta tamèn obtineri poteſt cura, abſquè etiàm vegetabilium recentium auxilio; dummodò debitè corpus exercere queant ægri, & aliorum medicamentorum actioni faveant circumſtantiæ: id multiplici compertum fuit experientiâ. Cùm verò ob dolorificam crurum intumeſcentiam, corporis debilitatem, aùt aliacumque incommoda in lectis detenti, nullò ferè motu, nullo exercitio fungi poſſunt, tùncque oleribus &

(e) Clar. Puzos ſe vidiſſe refert, Scorbuticos Infantes, qui per totam vitam dentibus orbati fuerunt, ferſè integrâ alveolorum deſtructâ à carie & ſuppuratione. Vide *Traité des Accouchemens*, *pag.* 301.

fructibus indigent ; morbus in hoc caſu , rapido pede ſempèr progreditur.

Si ad ſecundam periodum devectus ſit Scorbutus , imminere tùnc incipit periculum ; & nulla ſperanda venit ſanatio , niſi vegetabilia recentia adhibeantur. Cùm accidentalis eſt Scorbutus , in Navibus Portum tenentibus, altove etiàm Mari , curari poteſt ; ſi debitè tractetur, & per uſum olerum recentium ac fructuum horariorum , putà præprimìs ſucci aurantiorum atquè limonum : dummodò ultimum adhùc non attigerit ſtatum. Deludit aliquotiès Mari morbi illiûs prognoſis , ubi carnem recentem , & vegetantia præſertìm comparandi nulla ſæpiſſimè datur via ; tùnc quippè Scorbutici levitèr affecti apparentes , quibuſdam tamèn graviſſimis ſymptomatibus ſubitò corripiuntur.

Moderatus alvi fluxus ægris ſuperveniens , paulò poſt uſum fructuum herbarumque recentium , proſperos præſagit eventus. Si intrà paucos dies madeſcat emollita cutis , ſanationis tùnc certiſſimum adeſt ſignum ; præcipuè ſi exercitationem moderatam & aëris mutationem , abſquè ſyncope ſuſtinere queant ægrotantes. Ceſſat periculum , ubì flexibilitas , motûſque potentia , vegetantium alimentorum uſu , reſtituuntur ; dummodò nullâ thoracis affectione , aùt dyſenteriâ corripiantur : hæc quippè duo ſymptomata ſæpè ſæpiùs fiunt lethalia , & quibuſcumque cæteris difficiliùs ablegantur. Proùt ægri ſanitatem recuperant , nigritudo cutis aùt maculæ ſenſìm evaneſcunt , eodem ferè modo quo in aliis fit ecchymoſibus : videlicèt circumferentiâ flaveſcere incipiunt ; paulatìm flavus hic color centrum petit ; pedetentìm fit ſubalbidus , tandèm colore nativo cutis planè decoratur.

Si tertiam & ultimam periodum nactus fuerit morbus, utplurimùm tùnc Ars incaſſum operam adhibet. Accidit attamèn aliquandò ut unus aùt alter mortem eludat ; ſed pauciſſima tantùm ſuppetuntur exempla. Tanta enìm in pleriſque ægrotantibus exiſtit fluidorum diſſolutio ,

acrimonia

acrimonia, vaſorum eroſio, viſcerum infarctus, putredo; tot anomalorum, inexpectatorum, horrendorumque occurrit ſymptomatum caterva, ut nulla ferè ſpes ſalutis ſuperſit; etſi victus & medicamina maximè idonea, doctiſſimâ adhibeantur methodo. Amiſſam ſolidorum ſyſtalticam vim redintegrare, fluidorum dyſcraſiæ integræque diſſolutioni mederi, tùm & eorum acrimoniæ rodenti occurrere, fit impoſſibile. Undè patet funeſtiſſimam in hâc ultimâ Scorbuti periodo prognoſim eſſe ferendam, & citiſſimè neceſſarióque vitæ fieri terminum.

Mortem ſubitaneam ægrotantium quorumdam prævidere, arduum admodùm eſt ſatque difficile. Hæc atamèn accidit utplurimùm, cùm validioribus indulgent conatibus & motui; aùt aperto aëri exponuntur, poſtquàm in impuro diù remanſere.

Obſervavit Rembertus Dodonæus, qùòd, ſi magnus & diuturnus ſit morbus, & tandèm liveant hypochondria, ventriſque tormina accedant, mors cita ſubſequatur *(f)*. Dùm *Auguſtæ Vindelicorum* vigebat Scorbutus, anno 1634, omnes ægri, qui leucophlegmatiâ, aſcite, tympanite, atrophiâ, diarrhœâ vel ictero fuere correpti, occubuerunt *(g)*.

Porrò notandum eſt, majus minuſve in hoc morbo adeſſe periculum, pro ratione numeri & gravitatis ſymptomatum quibus ſtipatur; variarumque cum aliis ægritudinibus, lue imprimìs venereâ, complicationum.

Inſanabilis aliquotiès remanet genuum contractura *(h)*; etiàmſi omnia alia evanuerint ſymptomata. Nautam *An-*

(f) Vide *Medic. Obſerv. exempla rara*, *pag.* 60.

(g) Hoechsteterus, *Obſ. Med. decad.* 7. *caſ.* 10.

(h) Barthol. Hanneman ſingularem tradidit obſervationem, de contracturâ crurum in Scorbutico mirè averſâ. » Studioſus quidam juris, » *inquit*, Scorbutico Morbo diù detentus & ultrà ſemeſtre ſpatium, » ejus tyrannidem adeò gravem ſenſit, ut vìx ſeſe erigere ampliùs va» leret, accedentibus atrociſſimis convulſionibus, quas acriores diutur» nitate Morbi redditi humores excitabant. Præcipuè autèm crus utrum» que magnâ vi ſursùm ad ventrem convulſum, metum perpetuæ con-

glicum in hoc caſu vidit D. HYVES : cætera ſymptomata integram admiſerunt ſanationem ; aſt inſuperabilis cruris contractio remanſit , adeò ut nates ejus à talo tangerentur.

CAPUT QUINTUM.

De Scorbuti Curatione.

CURATIO Scorbuti , non eſt certè Artis molimen ; ſicutì nonnulli contenderunt Auctores. Etenìm præterquàm quòd , multiplici doceamur experientiâ , morbum hunc curatu facilem admodùm eſſe ; ſufficit ut attendamus , quænam ſint illiûs cauſæ , tàm prædiſponentes, quàm efficiens , ut hæc indubitantèr comprobetur veritas : nàm ex illarum effectuum conſideratione , curatoriæ omnes derivant indicationes. A cohibitâ perſpiratione *Sanctorianâ* , nec non hujûs diuturnâ retentione in totâ ſanguinis & humorum maſsâ , ex quâ naturalitèr per cutaneos canaliculos expelli deberet , omnis illa oritur Scorbutica labes. Præcipuus igitùr in hoc verſabitur Medici ſcopus , ut cauſas prædiſponentes , quibus gignitur aùt fovetur morbus , avertat ; excrementitii humoris blanda concilietur eliminatio , libera reddendo corporis emunctoria : videlicèt alvum , vias urinarias , atquè cutaneos præſertìm ductus excretorios ; ſimùlque prava corrigatur humorum diatheſis , uſu convenienti alimentorum , remediorumque antiſcorbuticorum.

» tracturæ cruris utriûſque faciebat ; quam etiàm vìx effugiſſet , niſi » Soror ejus Virgo nubilis , cruribus ejus inſidendo , illaque per integrum diem ferè vehementiùs premendo , convulſionum vehementiam » repreſſiſſet ; undè tandèm æger ſuperior , & ſinè ullâ contracturâ ſal- » vus evaſit. Vide *Miſcell. curioſ. Decur. III. ann.* 5. & 6. *Obſ.* 201.

Sub tribus variis aſpectibus Scorbutum jamjàm conſideravimus ; morbum hunc in tres gradus dividendo , aùt varietate , aùt augmento , malignitateque ſymptomatum , ſingulatìm deſignatos. Hæc ſatìs edocent, plethoram & certam quamdam humorùm craſſitiem , in primo morbi ſtadio ſæpè ſæpiùs adeſſe. Plurimùm abeſt, ut tanta tùnc occurrat ſolidorum atonia , quanta in ſequentibus periodis obſervatur ; vigent è contrà cutis ſpaſmus & rigiditas. Status igitùr tùm ſolidorum , tùm fluidorum in unoquoque gradu , & præſertìm in primo , diverſus ab illo quem deìn excipiunt ; diverſam & etiàm unicuique morbi ſtadio competere therapeiam , facillimè commonſtrant. Pleraque ſiquidèm auxilia , quæ morbo incipienti apprimè conveniunt, fieri poſſunt & fiunt reverà , in periodis ſuccedentibus funeſtiſſima. Hæc idcircò nonniſi cautâ & prudenti manu , Medico veniunt uſurpanda.

Data tempore proſunt ;
Dùm data non apto tempore ſæpè nocent.

Ut autèm facilis & tuta obtineatur ſanatio , primum quod Medico peragendum incumbit , eſt, ut ægri ſubtrahantur cauſis , à quibus natales ſuos duxit morbus ; juxtà illud Celeb. Riverii præceptum : *in legitimâ curatione cauſa morbi primò auferenda eſt , ſecundò ipſe morbus , ſi poſt cauſæ ablationem ſuperſtes maneat.* Omnium igitùr maximè habenda eſt ratio , ut aërem ſiccum purumque ſpirent ; cubicula & loca inhabitent ſicciora ; corpus ritè obtectum temperatèque calidum ſervent. Si plethoricus ſit ægrotantium ſtatus , morbus recens & accidentalis , corpus juvenile , morbiſque prægreſſis haùd exhauſtum ; ſi ſuppreſſio fluxûs hæmorrhoïdalis in Viris , menſiumve apùd Mulieres , Scorbutum præceſſerit , & huic quamdam præbuerit anſam ; omnium horumce conſideratio ſuadet tùnc , ut ſub pri-

mis morbi incunabulis, inſtituatur venæ ſectio (i), quæ nedùm fiat noxia, imò remedium erit præparatorium, quod maſſam humorum minuendo, horumque fluiditatem augendo, aptiores multò efficiet, ut actionem experiantur vaſorum quibus anteà, præ ſpiſſitudine nimiâ, majorem opponebant reſiſtentiam. Illa verò ſanguinis detractio, omne periti Medici judicium ſagacitatemque requirit : hæc autèm non largiori copiâ celebretur ; nàm vires tùnc labefactando, plùs afferret damni, quàm emolumenti. Miſſionem ſanguinis per ſcarificationes, phlebotomiæ anteponit Celeb. HOFFMAN : forsàn & paritèr hirudinum venis ſedalibus applicatio foret utilior, minùſque dolorifica.

Præmiſsâ venæ ſectione, proùt hanc neceſſariam judicaverit Medicus, ad purgantia ſtatìm deveniat, ut laxetur alvus ; dummodò prudens & moderata ſit eorum adminiſtratio. Fortiora autèm & acria penitùs exulanda veniunt ; quià acrimoniam & colliquationem ſanguinis & humorum accelerando, maximi tùnc forent nocumenti. Blanda tantummodò laxantia uſurpanda ſunt, videlicèt prunorum & uvarum decoctum, cui adjungere lubet aliquantulum cremoris tartari ; manna, ſenna, rhabarbarum, radix polypodii quercini, tamarindorum & caſſiæ fiſtulæ pulpa ; mel commune cum cremore tartari. Egregios paritèr præſtat effectus ſerum lactis, cui miſcetur ſal polychreſtum ; in quantum alvum lenitèr ſubducit, necnon diureſim efficacitèr ciet. Aqua marina (ſi in promptu ſit), leni ſtimulo provocans inteſtina, felici cum ſucceſſu poteſt itidèm adhiberi ; hæc autèm manè potanda erit, jejuno ventricu-

---

(*i*) Si firma ætas, ſi ſanguis abundat,
Regalem mediamve lacerti incidere venam
Proderit, atquè extrà fœdatum haurire cruorem.
FRACASTOR, *Syphil. lib. 2. pag.* 87.

lo, ad doſim duorum vel trium poculorum, bis tèrve, & ampliùs in hebdomadâ. Illiûs ſiquidèm uſus, à peritiſſimis quàmpluribus Practicis maximoperè laudatur; quos intèr annumerandus potiſſimùm Doct. ADDINGTON; ut videre eſt in ſuâ de Scorbuto diſſertatione, ex *Anglo* idiomate in *Italicum* versâ *(l)*. Dùm verò indicantur vomitoria, vinum tùnc ſcilliticum ſemèl exhibitum, utilitèr præſcribi poteſt.

Multiplici comprobatur experientiâ, quòd Scorbutici, nullâ evacuatione feliciùs alleventur, quàm ſudoribus; quæ methodus meritò præſcribitur, ab omnibus ferè qui de Scorbuto ſcripſerunt. Populos *Indiæ Septentrionalis* edocuit natura, evacuationem hanc, præſtantiſſimum præbere remedium, pro diriſſimi morbi illiûs curatione.

(l) Io conſiglierei, *inquit*, una gentile diaria purga coll'acqua marina, la quale adeſſo è con tutta giuſtizia ſtimata come un dilavante degl'inteſtini, anzi di tutto il ſiſtema glandulare. Ciaſcuna mattina deve beverſene tanta, quanta ſerva a procurare due, o tre evacuazioni nella giornata. Un gotto, più o meno preſo in una, o due bevute, generalmente produrrà queſt'effetto. Neſſuna perſona la quale ha biſogno de purgaſi, non ſi metta in alcuna apprenſione per la continuazione di un fluſſo cagionato dall'acqua marina, eſſendoſi conoſciuto per eſperienza che un fluſſo conſiderabile promoſſo in queſta maniera, è ſtato ſopportato ſenza incomodo per diverſi meſi continui, da perſone molto deboli, ma che anzi ha dato loro nuovo vigore, e ſpirito. In proporzione al numero delle evacuazioni ottenute per mezzo di queſta purga, l'oppreſſo malato diventerà più forte, e più libero, e oſſerverà con piacere gradatamente diſſiparſi tutti i ſuoi incomodi.

Queſto metodo di tenere continuamente il corpo ſciolto, non è ſoltanto giovevole a chi e pieno di umori, ma è generalmente proficuo a quelli i quali non hanno una tal ripienezza, ma hanno gli umori depravati, è corroti..... E ben ſarebbe per i marinari, ſe quando liberi dallo Scorbuto, ſi ſentono qualche altro incomodo, che indichi un gentil purgante, o ſi trovano in perfetta ſalute, ricorreſſero di tanto in tanto la mattina à buon'ora un pajo di volte la ſettimana a una, o due bevute di acqua marina..... L'acqua ſalata è utile nello Scorbuto non ſolo come evacuante, ma ancora come antiſeptico; perchè tutti i ſali neutri ſon dotati di queſta virtù quando non ſi fermino più longo tempo nei noſtri corpi di quello che mai vi reſtino i ſali dell'acqua marina, quando queſt'acqua è amminiſtrata in doſe conveniente. *Vide Saggio ſopra lo Scorbuto di Mare, &c.*

Chirurgi, qui *Bonæ Spei* promontorium inhabitant; (referente Cl. Lind) ſudores in Scorbuto, feliciſſimo cum ſucceſſu, movere ſtudent. Idem legere datur, in hiſtoriâ *Canadiæ*, evulgatâ anno 1604 à D°. Lescarbot, de regionis hujûſce populis, dùm Scorbuticâ labe inficiuntur. *Burdigalæ* didici, anno proximè elapſo, à ſene quodam Navigatore, quòd, in nonnullis ſuis itineribus, (Chirurgo orbatâ Nave) Nautas quamplures Scorbuto gravitèr affectos, ciendo ſudores, ipſemet perfectè ſanaviſſet; quem in finem, his largâ doſi, propinabat juſcula, ex teſtudinibus ligniſque ſudorificis confecta; quibus hauſtis, curabat ut ſtragulis involuti manerent in lecto pèr trium quatuorve horarum decurſum, juvandæ illiûs excretionis causâ, quæ madore totiûs corporis judicabatur: frigus & alias aëris mutationes per totum curationis tempus, quæ ad plures extendebatur hebdomadas, ſedulò vitantes ægri. Mihi quoquè retulit idem Navigator, quòd, in inſulâ quâdam, (de cujûs nomine haùd memini, quam tamèn puto eſſe *Sanctam Helenam*): Scorbuticos aliquot Nautas, quaſi ſepultos uſquè ad collum, in arenam ſole calefactam pluriès condidiſſet, ut ſudores moverentur *(m)*; ſed tùnc juſcula tantùm ex teſtudinibus, abſquè additamento ligni ulliûs ſudorifici, illis potanda præbebat. Quâ quidèm methodo ſempèr ferè uſus fuit, cum felicioribus ægrotantium rebus. Porrò ſequentia reperiuntur in epiſtolâ Sennerti ad M. Doringium; *Collega meus D. N. totâ hâc hyeme Scorbuto decumbit. Idem niſi continuè ferè ſudet, de ſummâ anguſtiâ pectoris & imminente lipothymiâ conqueritur; & dùm ſudat, meliùs habet. (n).*

(m) Planè in hâc re imitatus eſt ille Navigator, quod olìm me legiſſe memini, in Hiſtoriâ itinerum Ducis *Angli* Dampier. Is hydrope correptus, in Inſulâ *Californiæ*; ſemetipſum curavit eorumdem balneorum ope; ut ſic copioſi ſudores promôverentur.

(n) Vide Sennertum, *Opera omnia*, *tom.* 5. *cent.* 1. *epiſt.* 67. pag. 607.

549

Undè patet, quantùm ad Scorbuti curationem, præſtent diaphoretica: hæc tamèn non adhibenda ſunt, quæ, evectiori gradu, illâ virtute donantur; potè quòd humores nimiùm exagitando, & copioſiores ciendo ſudores, indè frangerentur ægrorum vires. Competunt ſolummodò illa, quæ poros cutaneos flexiliores permeabilioreſque efficiendo, materiem morboſam, blandâ tranſpiratione, evacuant. Idem dicendum de diureticis: fortiora etenìm prorsùs à Medico ſunt exulanda.

Altera datur via materiam peccantem eliciendi, nempè veſicatoriorum ope, quæ ab Illuſt. Poissonnier des Perrieres & Rouppe, maximâ cum utilitate fuerunt uſurpata. Hæc enìm magnam ſeri copiam evacuando, ſanguinem expurgant ab acribus & noxiis humoribus, quibus cuticulares meatus obſtipabantur. Eadem inſupèr, ad dolores tùm fixos, tùm vagantès partium muſculoſarum ſublevandos, egregiè inſerviunt. Unico namquè hoc remedio Doct. Rouppe, unâ tantùm nocte, Scorbuticum Nautam, à doloribus ſuprà genua inhærentibus, liberavit; quem quidèm effectum, alia topica, etiàmſi per decem dies applicata, producere nequiverant. Verùm enìm verò cautè vitandum eſt, ne cruribus apponantur; quià vulnera tùnc ſuccedunt, multò difficiliùs ſanabilia, quàm in aliis quibuſcumque partibus; imò in contumaciſſima ulcera degenerare queunt. Prætereà, non niſi in primo morbi gradu, in uſum vocanda veniunt veſicantia: in caſibus etenìm infiltrationis, fluidorumque diſſolutionis ſenſibus obviæ, exitioſiſſima forent, necnon gangrænam poſſent accerſere *(o)*. Vide de uſu

(*o*) Veſicantium applicatio artubus dolore cruciatis, nil profecit Doctori Grainger, uti videre eſt tomo 1°. pag. 371. Operis Clar. Lind. Hæc eadem, cuidam ægrotanti, diſpoſitionem gangrænodeam conciliavere, quam vix ſiſtere potuerunt antiſeptica validiora; & apùd omnes alios Scorbuticos, dolores exacerbârunt. Sed forſitàn cruribus appoſita fuerant, & in caſibus quos vitandos eſſe ſuaſimus.

& abuſu veſicantium doctiſſimam diſſertationem Celeb. BAGLIVI *(p)*.

Prætèr hæc jàm recenſita remedia debitè ſagacique manu adhibita ; præſtantiſſimus ſperandus eſt effectus, ex uſu vegetabilium recentium fructuumque horariorum ; quorum pleraque, laxanti, diureticâ, necnon aperienti virtute donantur. Innumeris reapsè comprobatur experimentis, illa vera eſſe ac efficaciora Scorbuti remedia ; in quantum ſæpiſſimè ſola ſufficiant, ut omnes morbi indicationes probè adimpleantur. Videtur etiàm horum inexplebilem appetentiam, à naturâ providenti, (ut hîc *Sthalianorum* verba mutuemus) ægrotantibus fuiſſe ſuggeratam, hoſque quaſi conſcios eſſe, nil aliud ſibi ipſis ſalubrius competere : ſæpè ſæpiùs etenìm obſervatum fuit, Scorbuticos, omni circà alia alimenta fame extinctâ, mirâ cum cupiditate vegetantia appetiviſſe. Animadvertit Doctor LIND, ſolo aurantiorum & fructuum aſpectu, jacentem Scorbuticorum animum, egregiè excitari. Imò refert Celeb. BACHSTROM *(q)*, quòd per obſidium *Thorunenſe*, cum hoſtibus pactum fuerit, *ut mala nonnulla citrea nobilioribus ægris unicum antè mortem ſolatium importari permitteretur ; & cùm aliquandò permiſſu Regis Sueciæ currus totus vegetabilibus onuſtus, in familiæ cujûſdam gratiam intromitteretur ; hæ viles aliàs res à Præfectis raptæ, & eorum menſæ, tanquàm ſummæ deliciæ, naturâ ipsâ id poſtulante, impoſitæ fuerunt (r)*.

Verùm in primo Scorbuti ſtatu, neceſſariò anteponendæ ſunt plantæ acriores, ſpiritu volatili dotatæ, cochlearia nempè, naſturtium, allium, ſinapi, cæpæ, eruca, porrum, napus ſylveſtris, abrotanum, petro-

(p) Vide *Opera Medico-pract. & Anatom. pag.* 367.
(q) Vide *Obſerv. de Scorbuto.*
(r) Videſis adhùc de hâc re hiſtoriam cui titulus ; *Voyage autour du Monde, par l'Amiral* GEORGE ANSON, *liv.* 3. *ch.* 2, *pag.* 246.

ſelinum

ſelinum, abſynthium, ſedum minus acre aùt herba vermicularis, beccabunga, cortex *Winteranus* &c. Expedit attamèn, ut acria hæc vegetantia, maritentur cum aceſcentibus, aùt aliis, quæ ſaponaceam virtutem dulcioremque ſaporem poſſident : lactuca ſcilicèt, acetoſa, acetoſella, ſpinacia, portulaca, braſſica, fumaria, cucumis, endivia, citrullus, dens leonis, cherefolium, daucus ſativus &c. Tandèm omnia ferè vegetabilia, præcipuè recentia, majori minorive vi antiſcorbuticâ ditantur *(s)* ; & ſub variâ formâ poſſunt uſurpari.

Notandum eſt intereà, quòd omnia vegetantia, non omnibus indiſcriminatìm conveniant ægrotantibus. Sunt enìm, quibus acria, ſola præſertìm adhibita, nocent ; alii è contrà, quibus acida unica nihil aùt parùm prodeſſent : ità ut tentare cogatur aliquotiès Medicus, quænam herbæ, his vel aliis conducant. Fit enìm non raròut, poſt uſum antiſcorbuticorum propriè dictorum incaſsùm adhibitorum, curentnr Scorbutici, uniûs tantùm vegetabilis ope. Sic exempl. gr. retulit mihi D. DE LAMURE Celeb. hujûſce Ludovicei profeſſor & Decanus, quòd, Domina *** nùnc *Nannetis* commorans, integrè convaluerit ex Scorbuto, mediante duntaxàt orizâ cum lacte concoctâ ; rejectis omnibus acribus plantis jamjàm inutilitèr uſurpatis.

Hauriant ægrotantes matutinis horis, in convenienti vehiculo, ſuccos quorumpiam antiſcorbuticorum propriè dictorum : v. g. duas aùt tres uncias ſucci naſturtii aquatici, in ſero lactis ritè clarificato. multùm

---

(s) Id certè non reputandum eſt paradoxum ; quandoquidèm ſi variorum Auctorum Opera, & præſertìm nautica diaria conſulantur, perſpicuum erit, quòd infinitæ numero ſint plantæ, de quarum antiſcorbuticâ virtute, nulla anteà mota fuerat ſuſpicio, quæ tamèn hoc in morbo mirificè proſunt. Expertus fuit etiàm Doct. COLLIN in Noſocomio civico *Pazmariano*, quòd ipſamet cicuta in primo, ſecundo, imò & tertio ſcorbuti gradu, egregiam opem attulerit. *Annus Med. tertius. pag.* 153.

quoquè præſtat infuſio abſynthii in vino & aquâ, aùt & tenui cereviſiâ. Victus ſit tenuis & concoctu facilis ; ſedulò vitent ægri carnes annoſiores, ſalſas, fumo induratas, pinguiores ; marinos piſces exſiccatos, necnon caſeum aliaque nutrimenta, quæ difficiliùs digeruntur : potè quòd viſcerum infarctus adaugerent. Panis præſcribatur triticeus & benè coctus : quotidiè offerantur offæ è carne recenti, magnâque olerum copiâ, quæ ſi juſculis & ferculis incoquantur, egregium adhùc præſtabunt effectum. Edant acetaria, cum naſturtio, erucâ, portulacâ, lactucâ, endiviâ variiſque aliis herbis ; tùm & maturos quoquè fructus horæos, ſcilicèt aurantia, citrea mala, limones, uvas, pira, poma, melones, fraga, ceraſa, prunos, mora, groſſularias &c. : quos intèr, primi præſertìm, inſigniori efficacitate ſplendent, aliiſque palmam præripere merentur *(t)*. Horum autèm ſuccus expreſſus, bis de

---

(*t*) Plurimi Auctores miranda nobis tradiderunt exempla ſanationum, fructuum horumce ope peractarum. Claſſis Architalaſſi Anson celerrimam recuperavit ſanitatem, in Inſulâ *Tinian*, aurantiorum uſu ; quo inexpectato eventu permotus nobilis ille Vir, maximam horum fructuum copiam, ſuis navibus acervandam curavit, priuſquàm ab inſulâ recederent. Vide *Voyage autour du Monde*, *liv.* 3. *ch.* 2. *pag.* 245. *&* *ch.* 5 *pag.* 267. *édit. in* 4°.

Duæ *Anglorum* Naves, in quibus centum & triginta jacebant Scorbutici, appulſæ ad Inſulam *Divi Thomæ*, perfectam obtinuerunt ſanationem, intrà duodecim dies, uſu duntaxàt limoniorum.

Sequens Hiſtoria excerpta ex Opere Clar. Lind, firmitèr adhùc comprobat, quantùm præſtent aurantia & limones, tùm in curando, tùm in præcavendo Scorbuto. Cùm, menſe Aprili, unà velificarent quatuor Naves *Anglicæ* ad *Indias Orientales* : menſe Julio ſequenti, Claſſiarios adeò profligavit Scorbutus, ut primâ die Auguſti, eò redacti fuerint [exceptâ Nave Prætoriâ], ut vìx ac ne vìx ſufficere poſſent, qui debito fungerentur miniſterio. Per quindecim aùt ſexdecim dies, adverſi perflârunt venti ; corripuit tùnc atrox ille morbus parvum numerum Nautarum, quibus primodùm pepercerat. Undè Negotiatores, qui Navigia conſcenderant, ut poſt eorum ad *Indias* adventum, mercaturam facerent, ipſimet fuerunt coacti gubernaculis aſſidere, officioque nautico fungi : donèc propè *Bonæ Spei* Promontorium, ſinum quemdam *Saldaigne* vocatum, attigiſſent. Navarchus, [Jacobus

die proſperè dari poteſt, commiſtus ſex vel octo unciis vini *Malaga* dicti, aquâ diluti. Potio hæc olìm in Nave quâdam *Anglicâ*, optimè profecit. Verùm accuratè cavendum, nè Scorbutici ingurgitent ſeſe oleribus vel fructibus, præſertìm poſt diuturnam horum abſtinentiam; preſſo namquè pede ſequeretur dyſenteria lethalis. Pro potu ordinario, utantur ægrotantes aquâ puriſſimâ, vel vino, pomaceo, cum certo tamèn moderamine; aùt meliùs adhùc cereviſiâ probâ atquè recenti: à cunctis liquoribus ſpirituoſis propriè dictis, prorsùs abſtineant.

Ad Scorbutum profligandum, variæ lactis ſpecies, præſertìm lac caprinum, hujûſque ſerum, egregias præbent ſuppetias, dummodò ſtomachus illud ſuſtinere valeat; quanquàm ſoli contendant, alioquìn Percelebres Viri, MORTON *(u)* & D. COSTE *(x)*, diætam lacteam Scorbuticis inimicam eſſe. Miſtura ſeri lactis,

LANCASTRE] tùnc ſcaphas miſit ad alias Naves, ac ipſemet inviſit, auxiliandi gratiâ. Verùm in tàm deplorandâ conditione hos invenit miſeros Nautas, ut vìx ac ne vìx vires eorum ſufficerent ad jacendas anchoras; imò caluppas ſuas Mari committere minimè potuiſſent, niſi auxilium recepiſſent à Nave Prætoriâ, in quâ parvus erat ægrotantium numerus; propterea quòd, antè diſceſſum, comparaviſſet lagenas aliquot ſucci limonum, cujûs, matutinis omnibus, cuique Nautæ cochlearia tria fuerant propinata. Quâ quidèm ſolâ viâ, plurimos ſanavit, alioſque planè ſoſpitavit Navarchus.

Duodecim Nautas in Nave *le Saliſbury*, eodem gradu & planè conſimilibus ſymptomatis Scorbuti laborantes, intèr alios ſelegit Doctiſſimus LIND, anno 1747. His ibidèm locatis, idem cibus quotidiè offerebatur. Verùm experiri cupiens, præfatus ille Medicus, variam medendi methodum; duobus illorum, per ſex dies, duo dedit aurantia unumque limonem, quæ magnâ cum aviditate vorabant, in variis diurni ſpatii horis. Ambo Nautæ adeò promptam recuperârunt ſanitatem, ut unus, elapſis ſex diebus, officio ſuo debitè fungeretur; & alter ægrotantibus ſociis obſequia dare valeret. Vide *Traité du Scorbut*, *tom.* 1 *pag.* 258.

Tandèm aſſerit Cl. LISTER, ſe ex nullo alio medicamento ſimplici, tot felices effectus in praxi obſervâſſe, quàm ex limonibus.

(u) Vide *Opera Medica*, *tom.* 1. *pag.* 87.

(x) Vide *Maladies du Poumon*, *pag.* 129.

ad quantitatem uniûs pintæ, cum tribus aût quatuor unciis ſucci aurantiorum citreorumve, bis de die ſumenda, efficaciſſimum producit effectum; in Noſocomio enìm *Viennenſi* Doctor KRAMER ſoliûs hujûs remedii ope, plurimos olìm perfectè ſanavit Scorbuticos.

Martialia, maximum & quoquè præſtant auxilium in curatione Scorbuti. Idcircò intèr plurima commendanda, quæ hîc enarrare ſupervacaneum duximus; paſtilli quos cum ferro parandos propoſuit D. DESAULT, & quibus maximâ cum utilitate uſus fuit in pluribus ſanandis ægritudinibus, eamdem propè agnoſcentibus cauſam, quam jàm Scorbuticæ labi aſſignavimus, egregiè citrà dubium in hoc morbo conferrent; quandoquidèm urinas necnon perſpirationem mirificè juvant: quos quidèm effectus, ſanitatis recuperandæ gratiâ, felicitèr memetipſum pluriès expertum fuiſſe teſtor. Modo autèm ſequenti, illi componuntur paſtilli *(y)*.

℞.	*Ferri limat. porphyriz.*	
	Millepedum,	
	Benzoini,	*ana ſemi-unc.*
	Corallii,	
	Cancrorum lapid.	
	Cinnamomi, ...	*drah. iij.*
	Sacchari albi	*ſemi-lib.*

Unà conterantur hæ ſubſtantiæ; & cum mucilagine tragacanthi, extractâ cum aquâ florum aurantiorum, fiant paſtilli pondere duarum drachmarum. Horum unum aſſumat ægrotans manè & ſerò, & deſupèr epotet duos ſuccorum antiſcorbuticorum uncias, in cyatho ſeri lactis clarificati.

Antequàm ulteriùs progrediamur, alia quædam pro-

(y) Vide *Diſſert. ſur les Maladies Vénériennes, la Rage & la Pthiſie*, pag. 393.

ponere lubet remedia, ex quibus inſigniora percepere commoda Scorbutici; quæque pro occaſione datâ, in uſum tutò vocari poſſunt.

Apùd Populos Septentrionales, turiones abietis aùt pini, eximio cum fructu, uſurpantur in Scorbuto curando. *Lapones* panem conficiunt è cortice hujûs arboris, farinæ commiſto: quamvìs autèm panis iſte gratum non referat ſaporem, egregiâ tamèn virtute donatur antiſcorbuticâ; fitque antidotum, quod gentem hanc tuetur à morbis, quibus præberent anſam, craſſior victus oleumque è moruis expreſſum, quo in cibis frequentèr uti aſſuevit *(z)*. Verno tempore decerpendæ ſunt abietis ſummitates, umbrâque ſiccandæ; deìn in loco haùd humido repoſitæ ſerventur, variâ formâ præſcribendæ. Sequentes verò formulæ, in Scorbuto etiàm gravi, utilitèr uſurpantur, experientiâ teſte; imò radicitùs curant, dummodò diù continuetur earum uſus.

℞. *Turionum pini. . . . manip. iij.*

Coque cum aquæ librâ unâ & dimidiâ, per horæ quadrantem; refrigerato decocto, addatur totidèm vini albi veteris; ſtent adhùc per diem integrum, quo elapſo, exprimantur. Doſis eſt unciarum duarum, trium, et ultrà quandoquè.

℞. *Turiones abietis aùt pini, ad quantitatem trium unciæ quadrantium; infunde cum aquæ pintâ unâ in cucumellam terream intùs illitam; farinaceo luto ritè obturetur vaſis operculum: deindè per viginti quatuor horarum decurſum, æquali ſed lento igni admove, ut nulla fiat ebullitio. Quovis manè, cyathos tres infuſionis hujûſce tepidæ ſumat æger jejunus; tùm & quoquè po-*

(z) Vide Clerc, *Hiſt. nat. de l'Homme malade, tom. 2. pag.* 110. *édit. in* 12.

meridianis horis, uno aſſervato cyatho; antè ſomnum hauriendo.

Præſtantiſſimam virtutem antiſcorbuticam ſedi minoris acris, aùt herbæ vermicularis, expertus fuit Bernardus Below. Plantæ hujûs octo manipulos incoquebat, vaſe clauſo, in veteris cereviſiæ & non lupulatæ ſexdecim libris, ad dimidiæ partis conſumptionem. Hujûſce decocti tepidi tres aùt quatuor uncias quovis manè præſcribebat, aùt diebus alternis, juxtà vires ægrotantium. Quod quidèm remedium, tàm proſperos produxit effectus, ut hoc ſolo, ſanaverit omnes ferè Milites exercitûs Scorbuto conflictatos, exceptis duntaxàt illis, quos ad inſanabilem ſtatum, intractabilis detruſerat hyems *(a)*.

J. Val. Willius aſſerit, ſe, remedio ſequenti, ingentem curaviſſe numerum Scorbuticorum utriûſque ſexûs, quorum fœdis ulceribus depaſcebantur crura; adeòque atrociſſimis cruciabantur doloribus, ut hi miſeri omnem ſanationis ſpem abjicerent. Incoquebat nimirùm, in veteri cereviſiâ non lupulatâ, manipulos aliquot foliorum trifolii fibrini vel aquatici; ſi autumnale aùt æſtivum eſſet tempus: vere autèm aùt hyeme, caulicibus utebatur. Cyathum unum hujûſce decocti, ter de die, propinabat ægris: manè ſcilicèt, meridie, & tertium dùm cubitum ibant. Curabat ut tibiæ abluerentur, decoctione tepidâ totiûs plantæ in aquâ marinâ; dummodò nimia non adeſſet inflammatio. Ulceribus applicabat folia plantæ recentia, ſeù illorum defectu, ſiccis utebatur, quæ anteà fuerant macerata in aquâ ſtillatitiâ ejûſdem trifolii aquatici. Hâc ſolâ ſimplici methodo, omnes ſanatos fuiſſe Scorbuticos teſtatur; alii intrà octo dies, alii tardiùs. Multotiès quoquè mirandos plantæ hujûs vidit effectus in

(a) Vide *Miſcell. Medico-Phyſic. Acad. natur. curioſ. ann.* 6. & 7. *obſ.* 22.

hydrope, Febribus intermittentibus, multiſque aliis chronicis ægritudinibus *(b)*.

Plurimos & etiàm Doct. Morin perfectè ſanavit Scorbuticos, in Noſocomio *Pariſienſi*, dùm hujûs olìm erat Medicus; illis, maximam acetoſæ copiam cum ovis concoctam, manducandam jubendo *(c)*.

Nec minorem certè habuit famam, pro Scorbuti curatione, vinum antiſcorbuticum D. Dumorette; quod ſequenti modo paratur.

℞. *Radic.*	*recent. Raphani Sylveſt.*	.	*unc.*	*xij.*
	Bardanæ	.	*unc.*	*vj.*
Fol.	*Cochleariæ*	}		
	Naſturtii aquat.	}		
	Beccabungæ	} *ana*	*manip.*	*ji.*
	Fumariæ	}		
Semin.	*Sinapi contrit.*	.	*unc.*	*iv.*
	Salis ammoniaci. . . .	.	*drach.*	*x.*
	Vini albi	.	*lib.*	*xxx.*

Mundentur & fruſtatìm concidantur radices; folia paritèr extergantur minutatìmque ſcindantur. In matracio hæ omnes ſubſtantiæ frigidè infundantur, per octo dies; vaſe ritè ſempèr obturato, pluriès de die agitentur: deìn colaturâ per expreſſionem factâ, vinum filtretur, & loco frigido in lagenis debitè obturatis ſervetur.

Vini hujûs antiſcorbutici uſum præcedere debet potio purgans, quæ ſemèl quâlibet hebdomadâ iteranda eſt, per totum temporis decurſum quo aſſumitur. Manè & ſerò epotandum eſt remedium illud; ad doſim quinque aùt ſex unciarum. Verùm enìm verò notatu digniſſimum eſt, quòd non omnibus ſubjectis in-

---

(*b*) Vide *Acta Haffnienſ. ann.* 1674 *&* 1675: *vol.* 2. *obſ.* 75.
(*c*) *Mém. de l'Acad. Roy. des Sciences de Paris*, *ann.* 1708, *pag.* 52.

diſcriminatìm conveniat ; quòdque prætereà , ſi poſt illiûs uſum per aliquot dies , cutis non emolliatur , urinæ non moveantur , nec reſtituatur perſpiratio , illo tùnc prorsùs abſtinendum ſit. In hydropem etenìm miſeros conjicere poſſet ægrotantes ; ſicutì id evenit Avunculo meo chariſſimo , *Pariſiis* anno 1768 , qui indè morte ſubitaneâ , fatis ceſſit. Tandèm etiàmſi remedium illud , magnam aliquotiès ſecum afferat utilitatem : nihilominùs tamèn , in adminiſtrando , omnem peritiſſimi Medici opem requirit.

Cùm Scorbutus ſecundam attigerit periodum, adipiſcuntur tùnc humores manifeſtum diſſolutionis & acrimoniæ ſtatum , quo inhibetur uſus quamplurium remediorum , quæ in primo morbi gradu utilitèr conferunt. Innumeræ ſiquidèm practicæ docuerunt obſervationes , calefacientia & acriora purè adhibita , noxia admodùm fieri , morbumque exaſperare : hæc ſunt igitùr ferè penitùs exulanda. Uſurpandæ veniunt tantummodò ſubſtantiæ acido-dulces & ſaponaceæ *(d)* , è regno vegetabili depromptæ ; quibus attamèn , ut rectiùs adimpleri queant indicationes , maritari poſſunt , & præſertìm in cibis , aliquot ex plantis paulò acribus ; cochlearia nempè , naſturtium , cæpæ , porra , allium. Tali connubio , harum corrigitur acritas , medianteque ſubſtantiâ mucoſâ quâ ipſæ ditantur , felicitèr ſuccedit materiei morboſæ per diaphoreſim & varia corporis emunctoria , promptior liberiorque excretio. Venæ ſectio autèm maximi foret nocumenti ; etiàmſi , membra-

(*d*) Exiſtimat Percelebris quidam Vir , actionem plantarum antiſcorbuticarum , tribuendam eſſe principio quo pollent aromatico. Verùm , illæſis Celebri huic Viro debitis obſequiis , lubentiùs cenſerem , illam potiùs adſcribendam eſſe earum virtuti ſaponaceæ ; quandoquidèm vegetabilia prorſùs inodora , qualia lactuca , portulaca , endivia & complura alia , quæ certè nullo aromatico donantur principio , egregii ſint in Scorbuto emolumenti ; hancque ægritudinem , ſola adhibita , non rarò curare valeant.

narum

narum acutiſſimi dolores, Febris fortuitò ſuperveniens, hæmorrhagiæ copioſiſſimæ, illam indicare viderentur: quam operationem, minimè ferunt ægri; imò dantur nonnulli, qui paulò poſt ſanguinem eductum, occubuere. Rejicienda itidèm ſunt omninò veſicatoria, necnon purgantia, & omnia quæcumque irritantia, quæ ſolida nimiùm exagitando, fluidorum colliquationem adaugerent, mortemque accelerarent. Ex alimentis, detrahenda erit carnium maxima pars, quibus in primo morbi gradu uti licebat; harum præſcribenda tantùm eſt quantitas ſufficiens, ut cum magnâ olerum recentium anteà commendatorum copiâ, conficiantur ſorbitiones. In hoc morbi ſtadio, ubi ſigna oſtendunt ſanguinem in putridum abiiſſe; ſequens tùnc remedium efficaciſſimum reputatur, referente D. STORCK *(e)*.

℞.	*Succi Naſt. aq. recent. expreſſ.*	*ſemi-lib.*
	Syrup. de ſucco pom. acid. . .	*unc. iij.*
	Spirit. Sulph. per camp. . .	*drach. j.*
M. S.	*ſumatur omni bihorio cochleare unum.*	

In ultimâ Scorbuti periodo, quantâ in adhibendis remediis prudentiâ opus ſit, palàm videbitur; ſi ritè conſideretur, ſolidorum atoniam, humorum diſſolutionem & acrimoniam, ad extremum tùnc fuiſſe deductas; quantâque corruptelâ, ſæpè ſæpiùs viſcera labefactentur. Quamvìs autèm in hoc deplorando admodùm ſtatu, vìx ulla ſuperſit ſanationis ſpes, non interìm omninò deſperandum, juxtà Celeb. BAGLIVI conſilium: *Quandiù anima in corpore remanet, ſempèr aliquid ex admirabili Arte noſtrâ ſperandum.* Rejectis igitùr omnibus quibuſcumque calefacientibus & acribus ſubſtantiis, tùm & ſalibus ſpirituoſis, volatilibuſque;

(e) *Primus annus Medicus*, *pag.* 92.

lac & vegetantia acido-dulcia, pro omni nutrimento, ægrotantibus præſcribenda occurrunt.

In iſto morbi ſtatu, aëri aperto nequaquàm exponendi ſunt Scorbutici, nec motibus validis agitandi, niſi maximâ adhibitâ cautelâ; accidit ſiquidèm tùnc ſæpiſſimè, ut improvisâ morte pereant. Quod quidèm minimè mirum videri debet; animalis etenìm œconomiæ notitia ſufficit, ut hujûſce phœnomeni ratio reperiatur, in promptiori raptu ſanguinis ad reſpirationis organum, diuturnitate morbi debilius factum: undè illiûs naſcuntur infarctus, vaſorum turgeſcentia, ruptura, & conſequentèr ſubitanea ſuffocatio. Muſculoſæ etiàm partes interdùm, levi de causâ, rumpuntur. Cùm verò præ animi deliquio, ad ſtatum morti ſimilem deducuntur ægrotantes, ſuadet tùnc Clar. Lind ad vitam labantem revocandam, ut hi in lectum calidum collocentur; quædam uſurpentur ſtimulantia, frictiones; tùm & in pulmones & anum aër inſuffletur.

Supervacaneum nùnc prorsùs cenſemus, varia hîc recenſere gymnaſtica auxilia, quæ, pro ægrotantium viribus, in uſum vocari debent; ut promptior obtineatur medela. Etenìm præterquàm quòd, ſola cauſarum Scorbuticæ labi anſam præbentium expoſitio, ſufficiat ut facilè demonſtretur, quanti illa habenda ſint momenti: poſtulat nihilominùs penſi noſtri ratio, ut de his Capite ſequenti diſſeramus, ubì videlicèt de curâ agetur prophylacticâ. Notabimus hîc intereà, velutì per tranſennam, Scorbutum, qui pauperiores aggreditur, non diverſam requirere curationem ab hâc quæ apùd divites uſurpatur; ſicutì perperàm quidam Auctor contendere voluit *(f)*. Porrò Scorbuti therapeiâ generali traditâ, ſpecialem nùnc exarare juvat medelam, quâ urgentiora impugnantur ſymptomata.

(f) Vide *Dictionn. Encyclop. art. Scorbut, tom.* 14. *pag.* 802.

Varia conferunt remedia, pro oris & gingivarum affectibus; qui ſi negligantur, evenit non rarò, ut magnæ oſſium maxillarium portiones, quandoquè corruptæ decidant: quem caſum vidit aliquotiès Cel. Wan-Swieten (g). Cùm igitùr ægri conqueruntur de intumeſcentiâ ſpongiosâ & pruritu gingivarum, dentiumque vacillatione; uſurpanda ſunt gargariſmata ex alumine, in aquâ hordei, ſuccis limonum vel citreorum; aùt ex adſtringenti decocto radicum tormentillæ, biſtortæ, corticumve quercûs, kinæ-kinæ, granatorum cum alumine. Si verò ingraveſcat putredo; illicò ſuccurrendum eſt, ope gargariſmatis ſæpiùs renovandi, ex aquâ hordei & melle roſaceo, quæ acuantur cum mineralibus acidis, v. g. ſpiritu vitrioli, quorum major minorve quantitas uſurpatur, pro putredinis intenſitate. Inſupèr, ſi poſtulet res, ope penicilli inungantur gingivæ ſpiritu vini camphorato, vel tincturâ myrrhæ, aloës aùt gummi-laccæ. Spiritus verò ſalis marini, experto Auctore ſuprà laudato, longè ſuperat omnia alia remedia, quæ ad hunc finem tentata vidit (h). Sufficit, ut diluatur drachma una ſpiritûs ſalis marini, in quatuor unciis aquæ florum ſambuci aùt roſarum, additâque unciâ unâ mellis roſacei, miſtura edulcoretur, ut fiat gargariſma. Quandò autèm magna adeſt putredo, mero ſpiritu ſalis, ope penicilli, tangendæ ſunt aliquotiès gingivæ gangrænoſæ; & ubì ſteterit putredo, intrà duodecim horas, idem tùnc renovandus eſt uſus, ſed dilutioris ſpiritûs ſalis: quâ quidèm methodo, decidunt brevì ſeparatæ gangrænoſæ partes. Deìn continuò fovendæ ſunt gingivæ dolentes ſucco ſempervivi majoris, cum æquali quantitate mellis roſacei; quibus egregiè compeſcuntur dolor & inflammatio, optataque procuratur conſolidatio.

(g) Vide *Comment. in* Herm. Boerh. *Aphoriſm. tom.* 3. *pag.* 607.
(h) Vide *Idem*, *pag.* 629.

Si importuno ptyaliſmo divexentur ægri, ſivè ſpontè ſupervenerit, aùt ab aliquo mercuriali præparato improſperè adhibito, fuerit excitatus; imminuitur tùnc, aùt etiàm ex integro revellitur materies hæc, à glandulis ſalivalibus ad alia corporis emunctoria, ope diureticorum & diaphoreticorum: ſcilicèt boli v. g. ex theriacâ cum camphorâ floribuſque ſulphuris parati, quartâ ſeù ſextâ quâque horâ aſſumendi. Utentur quoquè Scorbutici gargariſmate ex oxymele ſcillitico, ut ſaliva viſcida & ſpiſſior attenuetur. Profunt multùm & etiàm hæc quæ cum alumine & cortice quercûs conficiuntur; quemadmodùm internus kinæ-kinæ elixirique vitrioli uſus. Rejectis validis omnibus catharticis, ſubducatur lenitèr alvus blandis laxantibus, repetitiſque clyſteribus. Apponenda itidèm ſunt epiſpaſtica variis corporis partibus, utì & admovendi ſinapiſmi ad poplitem muſculoſque plantares. Nimius autèm hic ſalivæ fluxus quo laborant aliquotiès Scorbutici, oris intolerabili fœtore ſæpè ſæpiùs comitatur; ægros importunè cruciat, necnon difficillimè ſiſtitur. Oritur is & fovetur à ſpaſmo & nimiâ cutis conſtrictione, quâ humoris acris redundantis excretio præpeditur: undè tùnc ad ſalivales ductus propellitur. Idcircò quidquid cuticulares tubulos, urinarum vias & alvum reſerare valet, ſaluberrimam præſtat revulſionem.

In caſibus hæmorrhagiæ quæ ſecum periculum inferret, intùs aſſumenda ſunt, parcâ doſi ſed ſæpiùs iteratâ, acida mineralia debitè diluta. Uſus etiàm internus ſed moderatus kinæ-kinæ, modò hunc ſtomachus ritè ſuſtinere valeat, à nonnullis maximoperè commendatur.

Dolores quibus Scorbutici torquentur per artus, lumbos, & ſæpè per totum corporis habitum, ſunt aùt erratici aùt fixi: hi, partes tùm molles, tùm duras, & quandoquè ſine tumore occupant. Etiàmſi autèm eamdem utrique cauſam agnoſcant; ratione tamèn

363

durationis & ſedis, diverſam requirunt medelam. Illi qui ſinè tumore muſculoſas partes afficiunt, cedunt plerumquè in generali adhibitâ Scorbuti curatione, remediorumque diaphoreticorum uſu : accidit nihilominùs aliquotiès, quòd, adeò pertinacitèr partibus inhæreant, ùt curâ generali non ablegentur. Propinandum eſt tùnc ægrotantibus oxymel ſcilliticum in potione quâdam diaphoreticâ ſubcalidâ, in quâ vinum vices teneat ſpirituoſi cardiaci ; quod remedium, præſtantiſſimos nonnunquàm producit effectus. Tandèm ſi medicamine hocce adhibito, reſiſtant adhùc dolores, operam tùnc non eludet cortex *Peruvianus*, parcâ doſi, ſed ſæpè repetitâ, præſcriptus ; quæ ſensìm adaugenda eſt, cùm illiùs uſum debitè perferunt ægri. Si verò tumeſcant partes laceſſitæ doloribus ; etiàmſi vigeat adhùc calor earum nativus, in loco tamèn calido, aliquotiès in die, levitèr manu, meliùſve fruſtulo panni lanei fricandæ ſunt. Foveantur deindè decocto tepido florum chamœmeli, ſambuci, meliloti, corticis limonum, foliorum abſynthii, rutæ, rorifmarini, hederæ-terreſtris &c, in ſufficienti aquæ quantitate : cujûs decocti libris tribus, addendæ erunt libra una aceti acerrimi, & drachmæ tres ſalis ammoniaci ; vel loco aceti & ſalis, unciæ duæ ſaponis hiſpanici. Proſperè paritèr præſtat, dolentium partium involutio linteis calidis, ut in æquali tranſpiratione ſerventur. Cùm verò circà articulos hæſerint diù dolores, & jàm humoris acris adſit extravaſatio, ſivè intèr os & perioſteum, ſivè ſuprà capſulam articularem, aùt in ipsâmet articulatione, ſicutì id circà genua ſæpiùs evenit ; inciſione tùnc evacuanda eſt extravâſata materies, antequàm vicinas corrodat partes, oſſiumque cariem inducat. Levis hæc operatio proſperè aliquotiès ſucceſſit Clar. Rouppe : aſt fatetur, arduum admodùm eſſe, tempeſtivè compertam habere materiei hujûſce collectæ exiſtentiam ; quià lentè naſcitur, ſempèrque parte quâdam durâ necnon

tumefactâ profundè tegitur. Imò ſi jàm carie afficiantur oſſa, infelix plerumquè ſubſequitur ſucceſſus.

Evaneſcit utplurimùm ſensìm ac ſensìm crurum intumeſcentia, poſt uſum internum recentium vegetabilium. Si verò non ſuccederet effectus hic, & pertinaci adhucdùm œdemate afficerentur, fruſtulo tùnc panni lanei calidi & aromatico principio ambræ, moſchi, benzoini, aùt alteriûs hujûſmodi imprægnati, levitèr fricanda ſunt. Poſthìnc, crura faſciis haùd ſtrictiùs, incipiendo à malleolis ad poplitem, cingere oportet: notando intereà, quòd, in uſum non advocandæ ſint frictiones, niſi ubì adeſt intumeſcentia mollis parùmque dolorifica. Si ingens è contrà, crura occupet œdematia cùm rigiditate *(i)*, & acerbo doloris ſenſu, frictionum loco, foveantur decocto tepido & diſcutienti herbarum ſuprà memoratarum; qui fotus, licèt intumeſcentiæ progreſſum non ſiſtat, majorem tamèn minoremve concitat doloris remiſſionem. Fomento huicce anteponit Doct. LIND aliam methodum: is, ſerò & manè ſub lodice, tibias decocti vaporibus exponere mavult; quorum beneficio, articulationibus flexibilitas utplurimùm conciliatur, dolorque compeſcitur. Ad eumdem ſcopum, paritèr præſtat vapor aquæ communis calidæ, cui additur aliquantulum aceti ſeù ſalis ammoniaci: poſtquàm vapori huic expoſiti fuerunt articuli, oleo palmæ vel olivarum inungendi ſunt, linteiſque calidis involvendi.

Quod attinet ad curam ulcerum tibiarum, uſurpanda veniunt antiſeptica remedia; repetitis idcircò vicibus, illa abſtergantur decoctione tepidâ kinæ-ki-

---

(*i*) Refertur in Hiſtoriâ itineris GUILLIELMI DAMPIER, per orbis ambitum, quòd, Inſulani *Sanctæ Helenæ* balnea parent cum herbis optimis; undè crurum rigiditas & immobilitas Scorbuti pediſſequæ, perfectè curentur. Nonnè idem apùd nos perciperetur emolumentum, ex variis plantis emollientibus & aromaticis?

næ, roſarum rubrarum, corticiſve quercini, cui addentur acidi vitriolici guttæ aliquot; quibus inſupèr applicandum eſt mel roſaceum ſpiritûs vitrioli ope acidulatum, aùt unguentum ægyptiacum. Tentare juvabit & quoquè methodum jàm à nobis ſuprà memoratam, quâ proſperè utebatur J. Val. Willius; videlicèt applicationem foliorum recentium trifolii aquatici. Porrò legere datur apùd Sennertum (l): *Beccabungâ ſolâ in cereviſiâ coctâ, & bis de die appoſitâ, ulcus ingens Scorbuticum cruris totam ferè tibiam occupans, & ad os uſquè profundum, curatum fuiſſe.* Faſciis prætereà levitèr comprimantur partes quas occupant ulcera, accretioni fungorum obſtandi causâ. Sed minimè ſperandum occurrit, ut hæc, ad integram ſanationem, Scorbutica perducantur ulcera; niſi depravata humorum diatheſis, uſu diuturno herbarum fructuumve recentium, ſimùl emendetur. Verùm quandoquè evenit, ut, hæc ulcera (etſi debitè reſtitutâ humorum craſi, ægrotantes cœteroquìn ſatìs commodè ſe habeant) plorare pergant acre ſerum, & in illo ſtatu permultis etiàm annis ſerventur: tùnc non niſi periculo conſolidari poſſunt; fuit enìm obſervatum, quòd ſi ſpontè aùt Artis moliminibus ad cicatricem perducantur, vel brevì in alteris partibus prodeant, vel affectio alia periculoſa, quìn & etiàm mors quandoquè ſubſequatur.

Aſthma vel ægra ſpirandi facultas, apùd Scorbuticos frequentèr obſervanda, à variis cauſis pendere poteſt. Si non producatur ſymptoma hocce à varicosâ dilatatione vaſorum pulmonalium, concretionibuſve polypoſis, aùt à ſeroſâ in thoracis capacitate colluvie, quæ Scorbutum provectum ad ultimum ſtatum ſæpiſſimè ſubſequitur; uſus tùnc oxymelis ſcillitici, ad do-

(l) Vide *Opera Medica*, *tom.* 4. *liv.* 3. *part.* 5. §. 2. *pag.* 534.

ſim uniùs aùt ſeſquiunciæ, in appropriato liquore; diùque continuatus, cæteris remediis palmam præripit: ſucci cæparum & porrorum, in hoc caſu, præſtantèr itidèm conducunt. Doctor KOLICHEN Phyſicus *Haffnienſis*, in aſthmate Scorbutico, præ cæteris proficuum expertus fuit extractum croci ſpiſſius, in aquâ aliquâ appropriatâ diſſolutum, & ægris per intervalla exhibitum *(m)*.

Si verò aſthma pendeat à cauſis ſuprà memoratis, incaſſùm adhiberentur omnia remedia; fit enìm neceſſe, ut ægrotantes mortem ſubeant.

Dyſenteria quæ Scorbuticos aliquotiès invadit, exitioſiſſimum reputatur ſymptoma; accidere poteſt hæc in tribus morbi periodis: verùm cùm in harum ultimâ contingit, tùnc pro mortis prodromo haberi debet. Fatentur etenìm Auctores plerique, quòd, ſæpè ſæpiùs in hoc caſu, inutilia evadant optima auxilia. Si ægrotantes, vel ſanguinem purum & copioſum, vel aquam inſtar loturæ carnium alvo excernant, uſuque vegetabilium orbentur; in maximo verſantur periculo, & utplurimùm intrà paucos dies Libitinam ſolvunt. Cùm verò parumpèr provectus eſt morbus, & Scorbutici non multùm viribus exhauſti: radix ipecacuanhæ infuſa ſpiritu vini *(n)*, parcâ doſi ſed ſæpiùs iteratâ; rhabarbarum, diaſcordium; cortices amari ſtomachici; infuſiones corticis quercûs, kinæ-kinæ, foliorum chamœdrytis; boli ex conſervâ roſarum cum granis aliquot aluminis; potus acidulati & præſertìm ex mineralibus acidis aquâ dilutis, felicitèr uſurpari poſſunt. Epithematum antiſepticorum crebra abdomini applicatio, utilis quoquè foret. Recentium vegetabilium &

(m) Vide *Acta Haffnienſ. vol.* 1. *obſ.* 82.

(n) Doctor ROUPPE, & D. CHRISTIE in Noſocomio nautico Inſulæ *Minoricæ* olìm Chirurgus, præſtantiſſimos, in hoc caſu, ex illo remedio perceperunt effectus.

fructuum

fructuum acidorum acerborumque, frequens ægris concedatur uſus.

Poſtremò, dyſenteria Scorbutica eamdem ferè requirit medelam, quam alioquìn quotidiè conferunt in hoc morbo periti Practici. Alia non interìm negligenda eſt vigilanti Medico via ſalubris; nimirùm ut libera perſpiratio cuticularis foveatur, ægrotantium corpora, diu multâ veſte, noctu verò ſtragulis, ritè cooperiendo.

Quoàd autèm Scorbuti curationem apùd tenellos infantes, examinanda priùs incumbit Medico, lactis nutricum natura; quod quidèm citiſſimè mutandum, ſi alteratum vitiatumve deprehendatur. Præſcribendus eſt illis deincèps moderatus ſuccorum quorumpiam antiſcorbuticorum uſus, aùt plantarum earumdem infuſionis in aquâ pulli gallinacei; vel, quod meliùs adhùc ſuccedit, in ſero lactis clarificati. Commendantur quoquè potio repetita levis decocti radicis ſquinæ, necnon blanda identidèm purgatio, ope ſyrupi de cichoreo compoſiti cum rhabarbaro, aùt alteriûs cujûſdam ex lenioribus catharticis. Porrò in aërem ſiccum & purum deferantur, ſi quem ſpirant ægri paludoſus ſit & humidus. Cùm infantes jàm à mammis receſſerint, prætèr alia antiſcorbutica remedia, duo cyathi infuſionis rhabarbari manè ſumpti, & per certum quoddam tempus continuati, egregium præſtare valent emolumentum. Os & gingivas abluere convenit, cum quibuſdam ex gargariſmatibus jàm ſuperiùs commendatis.

Refert Perit. Puzos *(o)*, quòd, ex omnibus remediis, quæ adhibita vidit, in Scorbuto apùd infantes curando, nullus felicior obtineatur effectus, quàm ex vino antiſcorbutico D. Dumorette. Ipſe enìm, *Pariſiis* teſtis fuit oculatus duarum ſanationum, medicami-

(o) Vide *Traité des Accouchemens, chap. 7. pag.* 302.

nis hujûs ope, peractarum. Prima reſpicit obſervatio Sereniſſimum Ducem DE CHARTRES, tribus abhìnc menſibus, crurum exercitio orbatum; quinimò diarrhœâ continuâ exhauriebatur, illiûſque corpus maraſmo confectum, formam ſceleti viſui offerebat. Verùm antiſcorbutici illiûs remedii beneficio, feliciſſimo tandèm eventu, in promptam & integram reſtitutus fuit ſanitatem Excelſiſſimus Princeps. Obſervatio ſecunda ſpectat filium Nob. D. DE FONTENAY Tribuni Ærarii (*Receveur Général des Finances*), jàm à longo tempore Scorbuto correptum; exulceratæ prorsùs erant illiûs gingivæ, crura erant adeò tumefacta atquè dolorifica, ut ſi vel leviſſimè tangerentur, aùt de ſede moverentur acutiſſimos clamores ederet hic infans. Prætereà febre exhauriebatur hecticâ, jàmque in propinquo erat ineluctabile lethum: aſt uſu vini antiſcorbutici, intrà menſem unum, perfectam recuperavit ſanitatem. Tandèm therapeia Scorbuti, ſub infantiâ, eadem fermè eſt, ac in ætate provectâ; congruâ tamèn habitâ ratione, doſium medicamentorum, cuilibet ætati convenientium.

Cùm verò complicatur Scorbutus cum lue intercalibus venereâ, maxima tùnc citrà dubium adeſt difficultas, genuinam aſſignandi curatoriam methodum; multiplici etenìm & infeliciſſimâ obſervatione compertum fuit, quòd, hydrargyrum ſummoperè exitioſum ſit in Scorbuto. Nulli autèm quod ſciam, qui de hâc ægritudine tractaverunt, circà hujûs cum morbo venereo complicationem curandam, aliquid etiàm protulerunt. Verùm numnè mercurius, in primo ſtadio, ubì nondùm adhùc ſtabilitur humorum diſſolutio, innocuè parcâ doſi adminiſtrari poſſet? Cùm nupèr attentè perlegiſſem recentiſſimum Opus Doct. DE HORNE (*p*), & perpendiſſem quæ

(*p*) *Examen des principales Methodes d'adminiſtrer le Mercure, pour la gueriſon des Maladies Vénériennes.*

habuit Medicus ille de ſublimato corroſivo *(q)* ; ſtatìm venit mihi in mentem, quòd, forsàn medicamen hocce indicationi prædictæ debitè ſatisfacere poſſet, in eo quòd, parca admodùm ſit in ſublimato hydrargyri quantitas, prætereàque virtute quâdam antiſepticâ ditetur hoc compoſitum. Sed poſthàc, evoluto Opere D. GOULARD *(r)* Perit. Chirurgi *Monſpelienſis*, vidi, meam hanc opinionem jàm anteà ſibimet arriſiſſe. Quam quidèm quæſtionem à nobis ſolummodò propoſitam, peritioribus Medicis, experimentis & obſervationibus enucleandam, relinquimus.

CAPUT SEXTUM.

De Curâ Scorbuti Prophylacticâ.

SI attentè penſitentur cauſæ tàm prædiſponentes quàm concurrentes, tùm & proxima Scorbuti, quas jamjàm Capite ſecundo adſtruximus ; præcipuæ facilè innoteſcent cautelæ quibus corpus tetro ab illo morbo tuetur. Ad hunc finem, maximi ſit momenti rectus & congruus ſex rerum non naturalium uſus. Opera verò potiſſima danda eſt, ut exitioſiſſimi averruncentur effectus aëris humidioris in individua quæ illo circumdantur ; quam quidèm cautelam, utiliſſimam admodùm eſſe multiplici compertum manet experientiâ.

Expedit igitùr, ut qui Terrâ vitam Scorbuto prorsùs expertem degere cupiunt ; aërem ſubcalidum & ſiccum ſpirent, & idcircò ſedulò vitent ſedes in ædibus infrà

(q) *Idem*, *pag.* 33, 59. *& ſeq.*
(r) *Traité ſur les effets des préparations de Plomb*, *&c. tom.* 2. *pag.* 53.

ſolum depreſſis , aliiſque locis humidioribus & frigidis ; corpus convenienti veſte coopertum mundumque ſervent ; vitam umbratilem , ſedentariam , vel otio torpeſcentem fugiant ; corporis laboribus arduis diùque protractis haùd incumbant, æquè ac in Muſarum ſacris operantem nimìs & meditantem frænent mentem *(s)* ; triſtia quæcumque animi pathemata , putà melancholiam , triſtitiam , mœrorem & ſollicitudines penitùs excutiant ; probâque victûs ratione , magnâ præſertìm copiâ vegetabilium recentium utantur. Vitandæ aùt ſaltèm parciſſimè ſumendæ ſunt carnes duriores , ſiccæ , ſalſæ , pinguiores , vento fumove induratæ. Varia demùm auxilia gymnaſtica , equitatio nempè , in rhedam vectio , deambulatio , venatio , ruſticatio , aliaque moderata exercitia conſtantèr & pro viribus repetita , tùm & quoquè mentis hilaritas ; quæ varia liberæ tranſpirationis excretioni favere queunt , in Scorbuto præcavendo maximè adhucdùm opitulantur.

Qui præ ſuâ conſtitutione nativâ vel adventitiâ , quam vocant idioſyncraſiam , certam quamdam ad Scorbutum præ ſe ferunt diſpoſitionem ; hi optimam invenient cautelam , in aëris & climatum mutationibus , itineribuſque in regiones ſiccas & meridionales , alimentis utendo boni ſucci , necnon aromatibus paululùm conditis ; curis præcipuè & negotiis prorsùs valedicendo.

(s) Auream hanc meritò profatus eſt ſententiam Philoſophus Plato : » Quandò anima corpore admodùm potentior eſt , exultatque in eo , » atquè effertur , totum ipſum intrinſecus quatiens languoribus implet. » Quandò etiàm ad diſcendum inveſtigandumque collectis in unum » viribus vehementèr incumbit , liquefacit prorſùs corpus & labefactat ; » deniquè cùm ad dicendum differendumque privatìm & publicè am» bitioſâ quâdam concertatione contendit , inflammat corpus atquè » reſolvit «. *In Timæo* , *pag.* 495.

Videſis mala ferè innumera quæ ſoboleſcunt à vitâ litteratorum nimìs ſedentariâ , in Opere Clar. Tissot , *De la Santé des Gens de lettres* , §. 23. *pag.* 69.

Effugito quæ triſtia mentem
Sollicitant ; procùl eſſe jube curaſque metumque
Pallentem , ultrices iras , omnemque Minervæ
Addictum ſtudiis animum (t).

Qui autèm ob vitæ conditionem , ſeù modica inconſtantis Fortunæ munera , loca habitare coguntur inferiora , humida , paludoſa , aùt cubicula ſubterranea , aëreque minimè vel parùm renovata , quales nonnulli dantur Opifices ; humidam aëris qualitatem emendare poſſunt , largos inſtituendo focos , in quibus haùd ſilendus eſt ignis. Non parùm & quoquè juvaret , ſi ibi comburerentur ligna reſinoſa , aromatica : nempè juniperus, abies &c , necnon carbonibus ignitis ſuccinum , aùt aliæ quævis reſinæ injicerentur. Ad hunc finem paritèr adhùc congrueret via propoſita ab Illuſt. POISSONNIER DES PERRIERES (u) : nimirùm in medio & quatuor angulis loci ſubterranei , vaſa collocentur fictilia ſale tartari referta, aùt alio ſale hoc alkali, quod vocatur gallicè *Potaſſe* ; quæ ſalia ritè exſiccata , ſat magnam humidi aëris ambientis quantitatem abſorberent (x) : qui quidèm meliùs ſuccederet effectus , ſi identidèm ſpatulâ ligneâ volverentur. Imò ſalia hæc , omni aquæ atmoſphæricæ quantitate , quam exhaurire potuiſſent , prægnantia , ad eumdem uſum denuò poſſent advocari , ſi poſteà igni convenienti illa ſubjiceret œconomica manus ; ut ſic , aquæ quâ imbuebantur , accurata fieret evaporatio. Nùnc verò Scorbuti prophylaxim Mari , paucis attingamus.

Variæ Mari poſſunt adhiberi cautelæ , ut in quan-

(t) FRACASTOR , *Syphil. lib.* 2. *pag.* 81.
(u) Vide *Traité des Maladies des Gens de Mer* , *chap.* 1. *pag.* 78.
(x) Viginti libræ ſalis tartari ritè exſiccati , quadraginta circitèr aquæ libras abſorbere queunt.

tum eſſe poterit, à Scorbuticâ labe ſerventur Claſſiarii. Harum longè princeps verſatur in eo quòd, noxia admodùm vitanda ſit humiditas; qui ſcopus ſat facilè aſſequi poterit, ſi Navigantes corpus mundum & idoneis veſtimentis coopertum ſervare ſtudeant. Idcircò ſi quiſlibet Nauta veſtimentis ſufficientèr inſtructus ad opus, Naves conſcenderet *(y)*; ſi poſtquàm in altum, maximis & validis laboribus occupata illorum cohors, in interamentis & pontibus, ubi ſæviente procellâ, impetuoſis imbribus & fractis contrà Navem furentibus undis, madefacta penitùs habuerint veſtimenta: re peractâ, ſubitò ſub interforis alia induerent; non adeò certè obnoxii eſſent ad Scorbutum, aùt ad alias ſuſcipiendas ægritudines. Verùm è contrà, madidas veſtes ſæpè ſæpiùs ſervant Nautæ; imò etiàm in ſtratis, aliquotiès & quoquè vi procellæ madefactis, ſomno imprudentèr indulgent.

Omnes ferè Auctores ventilabrorum uſum, ad Scorbutum præcavendum, commendârunt: verùm licèt aëris renovatio in Navibus, ope machinæ illiûs, maximæ procùl dubio ſit utilitatis, ut à variis ægritudinibus tueatur Claſſiariorum ſanitas; hanc nihilominùs tamèn non ſufficere, ut ille morbus præcaveatur, infeliciori conſtat experientiâ. Dùm etenìm atmoſphæra diuturnâ prægnans eſt humiditate, nil juvat tùnc ventilatio; quandoquidèm poſt internum aërem expulſum, novi ſempèr fiat aëris humidi exterioris introductio: undè liquet quanta in Navibus adſit difficultas avertendi cauſam Scorbuti potentiorem, dùm diuturna viget pluvioſa tempeſtas. Neceſſe ſit igitùr in hoc caſu, ut aliæ adhibeantur cautelæ, quæ licèt quadantenùs inſufficientes, certam tamèn afferunt utilitatem.

(y) Conſulatur de hâc re præſtantiſſimum Opus Illuſtriſſimi Phyſici DUHAMEL DU MONCEAU, cui titulus eſt: *Moyens de conſerver la Santé aux Equipages des Vaiſſeaux, &c. art. 7. pag. 66.*

Idcircò, præterquàm quòd in curâ ſempèr apùd Nautas, modò memoratus habendus ſit rectus veſtium uſus; adversâ in tempeſtate, tormentorum bellicorum feneſtræ (gallicè *Sabords*), fororum tabulæ (*les Ecoutilles*), ritè clauſæ teneantur. Alterum & quoquè, poſſet tùnc uſurpari utile adjumentum, juxtà conſilium D. Poissonnier des Perrieres : nempè ſi in interforis, exſiccandi aëris causâ, exardeſcens largum tranſveheretur ignitabulum, cui operculum ſpiramentis ubiquè perforatum adaptaretur; ut omnis auferatur incendii metus. Ex illâ ſimplici machinâ, altera non parva difflueret utilitas : videlicèt quòd accenſis his carbonibus ſubſtantias aliquot reſinoſas injiciendo, putà benzoinum, thus, reſinam abietis, imò & etiàm parvam aceti quantitatem; fumo horum aromatico, putridi in aëre contenti vapores egregiè corrigerentur. Nitri detonatio in eodem ignitabulo, ſalutares quoquè produceret effectus : ſempèr ſiquidèm obſervavit Cl. de Boissieu, nitri combuſtione in cubiculis parùm aëre renovatis, ubi jacebant variis putridis ægritudinibus laborantes; undè fœtore intolerabili aër inquinaretur, fœtidiſſimum hunc odorem qui aliis reſtiterat auxiliis, ſalis hujûſce combuſti vaporibus, prorsùs fuiſſe deſtructum (z).

Cùm in longis navigationibus, dulcis aquæ corruptio vel penuria, ſint ex cauſis Scorbuti prædiſponentibus : jamdudùm fuerat in voto, ut tuta inveniretur methodus, quâ prava illiùs corrigeretur qualitas; aùt quod multò meliùs adhùc, ut aqua marina potabilis efficeretur. Clar. D. Gautier Doctor-Regens Facultatis Medicæ *Nannetenſis*, necnon in rebus phyſicis verſatiſſimus Vir, primus ferè fuit qui de hâc re expe-

(z) Vide *Diſſertation ſur les Antiſeptiques, qui a remporté le prix de l'Académie de Dijon en* 1767, *pag.* 15. & 16.

rimenta, in *Portu-Ludoviceo* tentavit, anno 1717. Plures quoquè fuerunt Doctiſſimi Viri, humanæ genti inſervire ſitientèr expetentes, qui ad tantum illud negotium ſuos labores & curam ex toto impenderunt animo. Intèr hos omnes, varios unuſquiſque commendavit aditus, ut in longis itineribus nauticis, à corruptione prorsùs ſervaretur aqua dulcis. Sic v. g. ſe obſervâſſe teſtatur Doct. Hales, quòd, guttæ tres olei ſulphuris quartam partem uniûs pintæ aquæ incorruptam ſervare poſſint *(a)*. Compertum paritèr habuiſſe refert Illuſt. Boyle, guttas tres veri ſpiritûs vitrioli eumdem præſtitiſſe effectum *(b)*. Commendavit Doctor Addington mixturam ſpiritûs ſalis marini, in proportione quinque guttarum cum unâ aquæ pintâ; non modò ut aqua à putredine tueatur, verùm etiàm tanquàm eximium Scorbuti prophylacticum remedium. Refert præthereà, ſe accepiſſe à peritiſſimo quodam Diſtillatore: ſpiritum vini rectificatum, in proportione partis uniûs ſpiritûs cum ſeptem aquæ partibus, hanc per complures annos in quibuſcumque climatibus, incorruptibilem efficere *(c)*. Nonnulli tandèm conſilium dedere, ut aquæ certa immiſceatur aceti quantitas: alii verò ſuaſerunt, ut combureretur ſulphur in doliis, priuſquàm infunderetur aqua. Verùm infelix conſtantèr probavit experientia, quantùm varia illa media fuerint hactenùs inſufficientia.

Illuſtriſſimo meo Mœcenati manebant decus & gloria, rem hanc adeò momentoſam ulterioribus & dilucidioribus explanandi diſquiſitionibus, & idcircò blandiſſimo decorari nomine Patris Navigantium: & ne dùm dicamus quod olìm meritò Doctor de Haen: *ſi Viri Clariſſimi* Poissonnier *aquas marinas levi ne-*

(a) *Exper. Philoſ. pag.* 39.
(b) *Miſcell. & obſerv. pag.* 136. & 137.
(c) Vide *Saggio ſopra lo Scorbuto di Mare, &c.*

gotio

gotio potabiles reddendi ſuccedat conatus, laudes merebitur æternas (d); quis nùnc debitè decantare poterit nomen Viri, qui de humano genere tàm benè meritus eſt? Tot ſiquidèm & tanta ex ſummi Medici hujûſce laboribus, perceperunt commoda Navigantes, ut non ampliùs, novi velutì Tantali, in ſinu aquarum immanitèr ſitientes, crudeliſſimæ morti exponantur. Pluribus jàm abhìnc annis, iterati ſucceſſus methodi illiûs præſtantiam confirmârunt; hoſque feliciſſimos totiès nunciaverunt chartæ publicæ, ut præſtantiſſimi illiûs Viri laudibus æternis, undiquè & gratè circumſonaverint aures. Sequens imò etiàm Epiſtola mihi nuperrimè fuit ſcripta, ex Arce Maritimâ *Rupifortenſi*, à Clar. D. DIGARD DE KERGUETTE, Matheſeos & Hydrographiæ Profeſſore Regio: *Tous les Vaiſſeaux du Roi, armés depuis la découverte de Monſieur* POISSONNIER, *ſe ſervent de ſa méthode avec ſuccès. Je ſçais même, que pour la table de l'Etat-Major, on préfere l'eau de Mer deſſalée à l'eau de proviſion. Un détail des noms des Vaiſſeaux, qui s'en ſont ſervis; des dattes & de la quantité de Bariques diſtillées, ſeroit auſſi ennuyeux qu'inutile &c.*

Quæ utinàm ſalubris inventio magìs ac magìs, in omnibus quibuſcumque Navibus, in uſum vocaretur! Vile ſiquidèm impendium nunquàm æquatur commodis omnibus quæ ex illâ percipiuntur. Operam etenìm & judicium dedit Illuſtriſſimus Machinæ illiûs inventor, ut, quantùm fieri poſſit, minimâ pararetur impensâ.

Quod ſpectat ad victûs rationem Nautarum; maxima certè ſubeſt in genere difficultas, huic aliquam afferre mutationem: talis prætereà victus nequaquàm pernicioſus valdè reputandus eſt, pro rationum momentis, jàm Capite primo recenſitis. Conſuetis ſolummodò Navium annonis, adjungi poſſunt quædam ex vegetabili regno

---

(d) *Ratio Medendi*, *tom.* 4. *cap.* 4. *pag.* 137.

deprompta ; quæ pravam illarum qualitatem quadantenùs emendare , & in Navibus facilè aſportari queunt.

In itineribus autumnalibus , ſecum importent Naves magnam pomorum ritè ſelectorum copiam , quæ ut aſſerventur , ciſtis includenda ſunt ſiccis. Cùm autèm ſtant Naves in Portubus regionum , ubi intèr alia ſua munera , citrea , limones & aurantia largè ſuppeditat tellus ; fructus hi qui tot in longè deplorandis Scorbuti caſibus , præſtantiſſimos & conſtantes præſtiterunt effectus , coacervandi eſſent : ità ut quâque die , cuique Nautæ , aliquot ex iis diſtribuerentur. Fructuum eorumdem ſuccus depuratus , necnon inſpiſſatus modo quem præſcribit Doctiſſimus Lind. *(e)* ; maximæ & itidèm foret utilitatis. Exprimatur v. g. ſuccus aurantiorum limonumve : tranquillè depurationi committatur per quoddam tempus ; decantetur deìn aùt filtretur ut purior evadat ; infundatur tùnc fictilibus vaſis rectè intùs illitis , & ità fabrefactis , ut ampliſſima ſit pars eorum ſuperior , evaporationi favendi causâ. Vaſa poſthàc cum ſucco quem continent , balneo Mariæ admoveantur , ignem leni ſed eodem caloris gradu fovendo ; donèc ſuccus conſiſtentiam ſyrupi refrigerati acquiſiverit. Extractum illud ad uſum per plures annos in vitreis lagenis ſervari poteſt ; & non minori certè virtute antiſcorbuticâ ditatur , quàm fructus ipſimet recentes. Sufficiens illiùs quantitas aquâ diluta cum ſaccharo uſurpatur tanquàm limonata ; & cum illo varia acidulari debent alimenta.

Sunt & alii fructus recentes , qui per diutinùm tempus , in Navigiis aſſervari poſſunt ; quales v. g. groſſulariæ non perfectè maturæ , modò lagenis ſiccis laxèque obturatis imponantur , ut earum evaporetur humiditas , vaſa hæc immergendo per quoddam tempus in

---

(e) Vide *Traité du Scorbut* , *tom.* 1. *pag.* 278.

aquam ferè bullientem : ſubtractâ tùnc parvâ aquoſitatis quantitate in fundo lagenarum per operationem effuſæ, ritè deìn obturandæ ſunt. Prætereà, cùm fuerit obſervatum, quòd, *Batavi* Navigatores multò minùs Scorbuto infeſtentur quàm *Angli*, quià braſſicâ ſale & aceto conditâ, in ſuis itineribus utuntur; nonnè reputandum eſt olus hoc tanquàm præſtantiſſimum morbi hujûſce antidotum *(f)*? Expediret igitùr, antequàm Navis fluctibus committeretur, ut magnâ braſſicarum ſale & aceto conditarum, in vaſis fictilibus acervatarum copiâ donaretur; ex quibus quotidiè vel identidèm ſufficiens depromeretur quantitas, ut Claſſiariorum conficeretur offa. Frequens cæparum uſus, remedium paritèr ſuppeditat prophylacticum efficaciſſimum; ſe enìm obſervaviſſe teſtatur Doct. Lind, quòd Nautæ qui quamdam ſecum vegetantis hujûſce quantitatem aſportâverant, ut cum ſuis alimentis decoquerent, nunquàm vel minimo Scorbuti ſymptomate fuiſſent correpti *(g)*.

Nonnè maximum adhucdùm redundaret commodum, ſi in quibuſdam convenientibus Navium locis, v. g. ſupèr & ponè puppim, capſæ collocarentur ligneæ terrâ impletæ, quâ ingererentur ſemina plantarum aliquot antiſcorbuticarum, videlicèt cocheariæ, lactucæ, portulacæ, cherefolii &c. : quæ quidèm res haùd peractu difficilis; cùm ad omnes *Galliæ* Portus maritimos appellant quotidiè Naves ex *Americâ* reduces, varias arbuſculas in vaſis ligneis conſitas ſecum aſportantes.

Maximi autèm momenti apùd Navigantes, habendus eſt potus Claſſiariorum ordinarius. Diximus (dùm de Scorbuti cauſis, & id multiplici probatione non indi-

(f) Sexaginta decem Scorbutici Nautæ *Anglici*, in Nave dictâ *le Guernſey*, perfectam in alto Mari recuperavere ſanationem, uſu offarum cum braſſicâ conditâ & carne recenti confectarum. Vide Lind, *Traité du Scorbut*, *tom.* 1. *pag.* 290.

(g) Vide Idem, *tom.* 1. *pag.* 288.

get) , abuſum liquorum ſpirituoſorum, unam eſſe ex cauſis labis hujûſce prædiſponentibus. Plerique è contrà Nautæ crapulæ dediti, perſuaſum ſibi habent, quòd aqua vitæ maxima ſit ipſis variarum ægritudinum prophylaxis : quâ quidèm in re multoperè decipiuntur, dùm vitantes Scyllam, incidunt in Carybdim. Congrueret igitùr, ut loco ſpirituum ardentium, qualis eſt aqua vitæ, Naves inſtruerentur, vino, cereviſiâ, pomaceo, quæ illis pro ordinario potu diſtribuerentur ; & præterea ſedulò invigilarent Præfecti, antè Navium diſceſſus, ne ullus Nautarum ſpirituoſos liquores ſecum aſportaret. In regionibus verò longinquis, ubi carent vino, cereviſiâ, pomaceo, neceſſarius tùnc fit uſus aquæ vitæ, ſed ſufficientèr dilutæ & acidulatæ cum ſuccis aurantiorum & limonum ; qui fructus plerumquè in plagis meridionalibus, magnâ reperiuntur quantitate, & ſat vili pretio venundantur. Præterea inſtrui deberent Naves liquore longè antiſcorbutico, parato cum ramulis pini vel abietis fermentationi commiſſis cum hordeo torrefacto, & craſſo illo ſacchari ſyrupo qui gallicè dicitur *Melaſſe*, &c. Modus autèm hanc medicatam conficiendi cereviſiam, reperitur in Opere doctiſſimo D. Lind *(h)* ; necnon apùd Clar. du Hamel du Monceau *(i)*.

Tandèm noſtrum hoc Diſquiſitionis membrum abſolvemus, Navigantibus commendando otii fugam, dùm favet tranquilla & ſecunda tempeſtas : variis ludis corpus & animum recreent ; triſtia animi pathemata ſedare, necnon mœrorem omnem & noſtalgiam depellere nitantur. Quibus unà concurrentibus, tùm & aliis cautelis, quas Medicis omnibus & Chirurgis Navigantibus, veram morbi hujûſce ætiologiam edoctis, pro occaſione natâ, ſuadere dabitur : vitabitur prorsùs,

---

(*h*) Vide *Traité du Scorbut*, *tom.* 1. *pag.* 330.

(*i*) Vide *Traité des Arbres & Arbuſtes*.

aût ſaltèm multùm imminuetur teterrima illa Scorbutica labes.

CAPUT SEPTIMUM.

De Cadaverum Sectionibus & Aperturis.

PRRIUSQUAM manum de tabulâ dimoveamus, exponere lubet maximas & horrendas ſtrages, quas in Scorbuticorum cadaveribus, Autopſia demonſtravit Anatomica. Minimè tamèn exiſtimandum, quòd, hæ variæ læſiones organicæ, ab initio morbi locum habuerint; ſunt autèm ſolummodò illiûs durationis effectus.

Refert SENNERTUS, quòd, aperto cadavere cujûſdam Scorbuto defuncti, viſui ſeſe obtulerit epiploon penè omninò corruptum *(l)*. FORESTUS ſe inveniſſe teſtatur, maximè affectum hepar Præſidis cujûſdam *Hollandiæ*, eodem morbo perempti *(m)*. REUSNERUS vidit jecur Viri Scorbutici corruptum, calloſitatibus infarctum, & depurationi ſanguinis minimè prorsùs idoneum *(n)*. Reperiit itidèm HORSTIUS, omnem hepatis ſubſtantiam intùs & extùs ſcirrhoſam, vaſis & ſanguine orbatam; lienem verò triplò majorem, quàm in ſtatu naturali *(o)*.

In ingenti Scorbuticorum numero, quos cultro ſubjecit anatomico WILLISIUS, obſervavit quòd hepar aût cyſtis fèllea, viſcera ſint, quæ ſæpiùs infecta deprehenduntur: in quibuſdam enìm cadaveribus, hepar omni ſanguine vacuum, & uberi vaccino exſucco per-

(l) Med. Pract. lib. 3. ſect. 2. cap. 2.
(m) Opera omnia, lib. 20. de Lienis Morb. obſ. 11. pag. 292.
(n) Exercit. 4. de Scorbuto.
(o) Tract. de Scorb. ſect. 2. §. 8.

fectè ſimile, invenit. In aliis planè vacua erat veſicula fellea; in cæteris, calculis obſtructa tandèm in nonnullis, hæc amurcâ ſummoperè amarâ; turgida occurrebat *(p)*.

Perit. Chirurgus D. PETIT, pluribus diſſectis cadaveribus Scorbuticis in Noſocomio *Dinantii* ſuprà *Moſam*, ſequentia obſervavit. Profecto milite quodam, cui portentoſa, in morbi decurſu, ſupervenerat pedis uniûs intumeſcentia, & durities ſinè ullâ fluctuatione; vidit omnia tarſi necnon metatarſi oſſa exoſtoſibus fœdata, & perioſteum lymphâ quâdam valdè inſpiſſatâ tumefactum *(q)*.

Reperiit Præfatus ille Chirurgus in cadaveribus Scorbuticorum, quæ ſecavit in Noſocomio *Bovignienſi* propè *Dinantium*, annis 1692 & 1693, perioſteum à cunctis fermè corporis oſſibus dimotum; ità ut, juxtà coſtarum longitudinem incidendo, hæ nudæ viderentur, aſperrimæ, inæquales, à ſuis ſolutæ cartilaginibus, & parùm firmatæ ligamentis & tendinibus, quibus poſteriori ſuâ parte naturalitèr cohærent. Sub perioſteo dimanans conſpiciebatur lympha ſubnigricans, fœtoremque ſpargens intolerabilem: quod itidèm inveniebatur, ſi juxtà longitudinem, brachia & crura ad os uſquè ſecarentur. Inciſis verò quibuſdam muſculis, manu avellebantur oſſa ſinè epiphyſibus, quæ tendinibus atquè ligamentis junctæ & retentæ manebant *(r)*.

Obſervavit Celeb. Doctor POUPART in cadaveribus quamplurium, teterrimâ hâc labe defunctorum in Noſocomio *Pariſienſi*, anno 1699, epiphyſes omninò dimotas ab oſſibus *(s)*. In quibuſdam vidit & quoquè

(p) Vide JAMES *Diction. Univerſ. de Médecine, tom. 5. pag.* 1405.
(q) Vide *Traité des Maladies des Os, tom. 2. pag.* 282.
(r) Vide *Idem, tom. 2. pag.* 283.
(s) Phœnomenon illud frequentiùs occurrebat apùd juvenes, in qui-

coſtas carie eroſas, & à ſuis cartilaginibus disjunctas: dùm ſic dimoveri incipiebant, ſi digitis premeretur extrema illarum pars, maxima tùnc diffluebat quantitas putridi cujûſdam liquaminis, quod quidèm nihil aliud erat, quàm ſpongioſa oſſis ſubſtantia; ità ut poſt compreſſionem, ambæ coſtarum externæ laminæ, ſuperſtites tantùm eſſent. Huic obviàm venerunt in cavitatibus thoracis & abdominis, ſtagnationes purulentæ vel aquoſæ, & adeò corroſivæ, ut manus attrectantium humore illo madefactæ, epidermide deìn prorsùs ſpoliarentur. Pericardium ſtrictè pulmonibus adhærebat; pulmones pleuræ & diaphragmati: quæ omnes partes, putridiſſimâ ſanie refertæ, intèr ſe ità confuſæ erant, ut vìx ac ne vìx aliæ ab aliis diſtingui poſſent. Hepar partìm putredine confectum, ipſiûſque parenchyma abſceſſibus quasì obſitum videbatur: apùd quoſdam viſcus hocce, pure indurato ac velutì lapideſcente, erat infarctum. Lien mole auctus triplici, ſolo digitorum attactu, in partes reſolvebatur. Renes & pectus abſceſſibus quandoquè inficiebantur. In nonnullis axillares glandulæ repertæ fuerunt magnitudine auctæ, puriformique materiâ circumfuſæ. Infarcti paritèr erant, in ſuis interſtitiis, putrido ichore, brachiorum & crurum muſculi.

Oſſa autèm in pleriſque cadaveribus, viſui offerebantur nigra, carie tentata & quasì vermiculoſa; imò quædam, bis craſſiora quàm in naturali ſtatu, epiphyſibus ſpoliabantur. Eroſa erant, laxiſſima articulationum ligamenta; & oſſa, ſummoperè alia ab aliis dimota. Intrà capſulas articulares ſtagnabat ſerum virideſcens, & maximâ donatum cauſticitate. In aliis ſub organo cuticulari, apparebat ſanguis ater & coagulatus; muſ-

bus, vigente morbo, audiebatur ſtrèpitus ille oſſium de quo jàm diximus, Capite tertio, ubi de ſignis. Vide *Mémoires de l'Académie Roy. des Sciences de Paris*, *ann.* 1699. *pag.* 162. & *ſuiv.*

culi verò, inſpiſſato cruore tumefacti, ligneam penè duritiem aſſimilabant.

In cadaveribus omnium Scorbuticorum, qui ſubitaneâ morte occubuerunt, molem pugni æquabant, ſanguine multo ingurgitatæ cordis auriculæ. Ægrotantis cujûsdam ſubitò enecati pericardium, eroſum prorsùs fuit repertum; cor paritèr, ſat profundè ulceribus depaſcebatur *(t)*.

Verùm enìm verò mirum certè videbitur, quòd, in tantâ & horrendâ viſcerum cæterarumque partium organicarum labe, cerebri ſubſtantia ſempèr penitùs illæſa fuerit obſervata *(u)*.

Vidit Doct. MEAD, in cadavere ruſtici Scorbuto interfecti, lienem portentosâ magnitudine auctum; ſubſtantia verò hepatis, offerebat nigrum cruorem, laxis fibris ſuffuſum *(x)*.

In cadaveribus Nautarum Scorbuticorum, quæ cultro ſubjecit anatomico Doctor ROUPPE, invenit quandoquè textum cellularem ſero turgidum; quod quidèm ſtagnans, flavi aùt videſcentis coloris, fœtentem aliquotiès & cadaveroſum ſpargebat odorem. In cavitatibus thoracis, pericardii, muſculos intèr abdominales & peritonæum, necnon intèr capſulas articulares, ſeroſi illiûs laticis loco, flavam pellucidamque reperiit gelatinam, tùm & paritèr hanc eamdem in abdomine, ſed minùs firmam & cohærentem. Cartilagines primarum coſtarum, ab oſſe ſterno ſeparatas; capſulas verò genuum articulares, & cartilagines aliquotiès vidit exeſas. Porrò omentum ex toto conſumptum,

(t) Vide *Mémoires de l'Académie*, *ann.* 1699. *loco citato.*

(u) Doctor WILLIS ſe inveniſſe teſtatur attamèn, in quorumdam defunctorum capitibus apertis, utramque meningem coalitam, & tuberculis ac tumoribus ſcirrhoſis per totum obſitam. Vide *Opera omnia*, *cap.* 4. *Tract. de Scorbuto*, *tom.* 1. *pag.* 590.

(x) Vide *Monit. & Præcep. Med. cap.* 15. *de Scorb. pag.* 137. *tom.* 2. *edit. ult. Pariſ.* 1757.

mesenterium

 -383

meſenterium, rubris ac nigris tuberculis ubiquè obſitum; in pleriſque pulmones ſubduros & lividos; horum vaſa, atro ſanguine referta; cordis auriculas & ventriculos ſæpiùs ſanguine turgidos; necnon concretiones polypoſas & flavas in aortam, arteriam pulmonalem, & in alia vaſa majora ſeſe extendentes, obſervavit. In iis autèm qui hydropici perierunt, viſcera reperta fuere plerumquè corrupta, vel ſemimacerata; glandulæ meſaraicæ obſtructæ, oſſa hirſuta, ſcabra, carie eroſa, ſexcentaque alia horrenda admodùm vitia, quæ brevitatis gratiâ tacemus *(y)*.

Nunc verò, ſi illa, quæ in aſſignandâ verâ & efficienti Scorbuti causâ, jàm anteà ſumus profati, ritè perpendantur; nimirùm, quantum degenerationis & acrimoniæ gradum adipiſci queat cohibita diù perſpirationis *Sanctorianæ* materies, horum omnium phœnomenorum ratio, vel levitèr attendenti, facillimè patebit.

(y) Vide Rouppe, *de Morbis Navigantium*, *pag.* 151. *& ſeq.*

FINIS.

584

INDEX
CAPITUM.

PROLOQUIUM. pag. 5.

CAPUT I.

In quo præcipuæ Auctorum opiniones circà cauſas & diverſas ſpecies Scorbuti perpenduntur. pag. 7.

CAPUT II.

De Ætiologiâ ſeù de veris Scorbuti cauſis, deductis ex Obſervationibus, tàm Mari quàm Terrâ, accuratè inſtitutis. pag. 27.

CAPUT III.

De Signis Scorbuti Diagnoſticis. pag. 44.

CAPUT IV.

De Scorbuti Prognoſi. pag. 56.

CAPUT V.

De Scorbuti Curatione. pag. 66

CAPUT VI.

De Curâ Scorbuti Prophylacticâ. pag. 91.

CAPUT VII.

De Cadaverum Sectionibus & Aperturis. pag. 101.

DISPUTATURI

R. R. D D. PROFESSORES REGII.

R. D. *JOANNES-FRANCISCUS IMBERT*, Cancellarius & Judex.

R. D. *FRANCISCUS DE LAMURE*, Decanus.

R. D. *GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.*

R. D. *CAROLUS LE ROY.*

R. D. *PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ.*

R. D. *GASPAR-JOANNES RENÉ.*

R. D. *ANTONIUS GOUAN.*

R. D. *FRANCISCUS BROUSSOUNET.*

ANTECESSORES REGII VETERANI.

R. D. *HENRICUS HAGUENOT*, Decanus, Profeſſor Emeritus.

E770
L55d

586

74-242
20 March
Wormser